THE GENERAL THEOLOGICAL
SEMINARY LIBRARY
CHELSEA SQUARE, NEW YORK II, N. Y.

Bequest of
THE REV. FREDERICK C. LEE

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/bwb_Y0-CCI-335

S. HILARII

TRACTATVS DE MYSTERIIS ET HYMNI

ET

S. SILVIAE AQVITANAE

PEREGRINATIO AD LOCA SANCTA

QVAE INEDITA EX CODICE ARRETINO

DEPROMPSIT

IOH. FRANCISCVS GAMVRRINI

ACCEDIT

PETRI DIACONI LIBER DE LOCIS SANCTIS

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA PACIS PHILIPPI CUGGIANI
Vico *della Pace* Num. 35
1887

IOH. BAPTISTAE DE ROSSI

ARCHAEOLOGIAE CHRISTIANAE LVMINI

AMICO OPTIMO

HOS FLORES SACROS

IOH. FRANCISCVS GAMVRRINI

DEDICAT

SIZE 2
PA
6554
.P7
1887

153488

PRAEFATIO

I. DE CODICE ARRETINO
II. DE S. HILARII MYSTERIIS ET HYMNIS
III. DE PEREGRINATIONE
IV. DE TEMPORE PEREGRINATIONIS
V. DE PEREGRINA
VI. DE PETRI DIACONI LIBRO " DE LOCIS SANCTIS „

I.

DE CODICE ARRETINO

Inter nonnullos non spernendos codices, qui Arretii in bibliotheca pii sodalitii, quod vulgo appellatur Fraternitas s. Mariae vel laicorum, asservantur, honore praecellit unus, qui s. Hilarii Mysteriorum et Hymnorum fragmenta continet, nec non Peregrinationem ad loca sancta, antiquam satis, licet initio et fine carentem [1]. Ea nos omnia plurimi existimanda esse censemus, ac tandem in lucem proferenda: eoque sentimus, ut oblivio tam diuturna non sine quadam culpa studiorumque detrimento usque adhuc mansisse videatur, tum si praefatorum viri doctissimi luminisque ecclesiae operum praestantia perspiciatur, tum etiam quod ex ea terrae sanctae cognitio magis augescat.

Membranaceus est codex, distinctus in quaterniones, ac pristina iunctus sutura: qua ex re defectiones abscissionesque foliorum recensere atque de ipsa codicis integritate disputare licebit. Antiquitatis argumentum ex scriptura deducitur, quae ab antiquariis peritisque viris beneventana vel longobarda-casinensis appellatur, qua monachi illi praesertim usi sunt a saeculo nono ad duodecimum usque. Nam eiusmodi scripturam si cum libris in coenobio casinensi exaratis compararis, te id perspicuum certumque esse non dubito confirmaturum. Itaque nos, quum primum quaedam subesset suspicio, ne et codex arretinus esset ad eam adscribendus familiam, cuius multa exemplaria in bibliothecis ita-

[1] Gamurrini, *I Misteri e gl'Inni di s. Ilario vescovo di Poitiers, ed una Peregrinazione ai luoghi santi nel quarto secolo.* (In *Studii e documenti di storia e diritto*, anno V, 1884). Deinde disseruit: *Della inedita Peregrinazione ai luoghi santi.* (*Studii* etc. anno VI, 1885). C. Koeler, *Note sur un manuscrit de la bibliothèque d'Arezzo.* (Extrait de la Bibliothèque de l'École des chartes, t. XLV, 1884).

licis traslata fuisse novimus [1], perquirere non destitimus, ut etiam de hoc veritatem assequeremur.

In prima codicis parte, id est quindecim primis foliis, nonnullorum abscissione interruptis, s. Hilarii Tractatus de Mysteriis et Hymni continentur: in secunda autem, quae foliis constat duobus et viginti, Peregrinatio ad loca sancta tradita est. Etsi quidem in utraque et compactio et forma sit eadem, scriptura quoque simillima, me tamen non praeteriit aliquantulum inesse differentiarum, quibus codicem ab altero alterum disiunctumque fuisse detegeretur. Etenim primum in s. Hilario pagellae versiculis tribus et triginta conficiuntur, at in Peregrinatione triginta et quinque: deinde litterae in hac minutiores sunt, nexus peculiares, orthographia minus accurata quam in s. Hilario, aspectusque ipse maiorem antiquitatem redolere videtur. Denique ex illis aquae maculis, quae superiori utriusque codicis margine visuntur obductae, colligitur aquam non simul protinusque se induxisse, sed utrumque, licet in eodem armario positum, dissimili modo foedasse.

Praeterea maiora nobis ad rem declarandam, si de codicum origine atque fato investigemus, argumenta suppetunt. Quis enim s. Hilarii libros Mysteriorum commemoravit praeter Hieronymum? quis Hymnos excepit? Nullam profecto mentionem in scriptoribus ecclesiasticis, nullum in medii aevi bibliothecis vestigium extare fatemur. In casinensi monasterio dumtaxat omnia illa servata esse constat. Exoritur notitia satis luculentior ex Chronico Leonis Ostiensis, qui, quum res bene gestas a Desiderio abbate, qui postea anno 1070 Victor II ad summum munus excessit, narrasset, inter codices, quos excribi abbas ipse iusserit, etiam s. Hilarium recenset [2]. Deinde tempora mala calamitatesque, in quas abbatiam

[1] Mari in praef. ad Petrum Diaconum, *De viris illustribus Casinensibus*: « Ita et hodie in tota Italia nulla fit paulo celebrior bibliotheca, quae non aliqua ex parte ipsorum nobilibus thesauris locupletetur. »

[2] Chron. S. Monasterii Casin. l. III, c. 63. « Hilarius Mysteriorum et Hymnorum. » Ad quem locum adnotat Angelus De Nuce: « Quorum plurimi (codices) supersunt, non tamen omnes, expilata non semel nostra bibliotheca. »

incidisse compertum est, praesertim si terraemotum illum magnum memoriae revocemus, quo tota anno 1349 corruit, et libri et diplomata iacuere sub dio, nullum forte fortuna codici s. Hilarii attulerunt exitium. Nam in catalogo manuscriptorum casinensium ad Clementem septimum anno 1532 misso, nunc in bibliotheca vaticana adservato, haec habentur[1]: " Liber mysteriorum sancti Ylarii incipit: Multiplex „. Ex eo tempore nequicquam in monasterio conquisitus est, ignotusque mansit et Angelo de Nuce abbati casinensi, qui medio saeculo decimo septimo codicibus casinensibus adsidue operam navavit, catalogumque digessit, quem Romae Mabillon ab eo accepit, postea Montfaucon prodidit[2]. Quomodo igitur ille evanuit, ubi latuit? Nempe in abbatia arretina ss. Florae et Lucillae, quae regulam disciplinamque casinensem ab antiquissimis temporibus retinebat[3]. Hac in abbatia, immo in eius archio, Angelus de Constantio, pervestigator acerrimus antiquitatis, quum Arretii anno 1788 biduo moratus esset, codicem hilarianum invenit, suoque in odeporico adnotavit[4]: sed quid in eo novi vel praetiosi lateret, non animadvertit. Postea anno 1810, cum ordines religiosi, ob legem gallicam suo iure destituti, sacras aedes deserere coacti essent, libri fere omnes

[1] Mai, *Spicilegium Romanum*, T. V, p. 222, et in T. III, p. 2ª, p. 165: « Catalogus missus ad Clementem VII.... quem cum legerem magnopere me commovit mentio hilarianorum librorum de Mysteriis, et in Epistolas septem canonicas, ineditorum. Verum tamen haec exoptabilia Hilarii opera in casinensi archio supereste iam non videntur: neque enim studiosissimis illis monachis incognita essent. » Vide etiam *Biblioth. Casin.* T. I, p. LXXIV.

[2] Mabillon, *Iter Italicum* T. I, p. 55: « Ab eo (Angelo De Nuce) indicem veterum codicum bibliothecae casinensis accepimus, atque Anonymi libellum — De expeditione sacra sub Urbano II. »

[3] Bullarium Casin. II, p. 148. Aliotti, *Epistolae* ed. Scarmagli; T. I, p. 2, n. *d.*

[4] Di Costanzo, L'Odeporico nell'Archivio stor. per le Marche e l'Umbria, vol. II, p. 557: « Trovai pure nell'archivio un codice in pergamena in 8° di caratteri semi-longobardici mutilato in principio e in fine. Conteneva desso alcune opere di s. Ilario Pictaviense, e fra queste gli Inni, uno dei quali comincia – *Felix propheta David* –, e l'altro – *Ade carnis gloriam, et caduci corporis*, di cui mancava il fine. Non ebbi tempo, nè commodo per farne il confronto coll'edizioni moderne, specialmente colla più stimata di tutte del Coutant ».

in abbatia s. Florae collecti in publicam bibliothecam Fraternitatis s. Mariae transferebantur. Codices autem, quorum nullus antea ibidem erat, ex eo fonte deducti hodie servantur, at alii et praetiosiores sunt deperditi: noster vero s. Hilarii et Peregrinationis exitio evasit, nullo tegmine defensus, foliisque suis abruptus miserrime [1]. Diplomatum quoque instrumentorumque ad eam Abbatiam pertinentium collectio antiquissima et locupletissima partim in archio ecclesiae cathedralis arretinae partim in regio florentino recondebatur, sed non omnis: primum enim illorum volumen nuper in bibliotheca Asburhnamiana repertum est, postea ad Laurentianam nostram adpositum [2].

Ni fallimur, omne e medio sustulimus dubium, ex abbatia montis Casini originem suam duxisse codicem s. Hilarii, cuius a Desiderio abbate repetenda est exaratio: idem huiusmodi de Peregrinationis fragmentis referre possumus. Sane quidem Petrus Diaconus, qui saeculo duodecimo ineunte post Leonem Marsicanum vel Ostiensem bibliothecarius valde laboriosus in illo floruit coenobio, quum librum vel Itinerarium - *De locis sanctis* - confecisset [3], eamdem Peregrinationem in manus versavit, multa ad verbum prosecutus excepit, atque in sua inserenda curavit. Elucubrationibus nostris fortuna maxime profuit, quod librum ipse suum iis, quae in fragmentis arretinis primae sunt, paginis intermisit, adeo ut inter utrasque connectio perspici possit, comparatioque institui. Omnibus ex rebus, quae ad topographiam sacram spectantes describuntur in Peregrinatione, thesaurum sibi fecit Petrus Diaconus, qui nonnumquam lectionis antiquae errores et soloecismos emendare neglexit: quapropter codicem nostrum non modo ab eo lectum exscriptumque, verum etiam in monasterio casinensi servatum fuisse putamus.

[1] Codicis foliorum primam curam habuit can. Vagnoni bibliothecarius, deinde titulum addidit eius successor eq. Joh. Guillichini.

[2] *Catalogo dei codici della Biblioteca Asburhnam*, n. 1148.

[3] De Petro Diacono vide paulo inferius.

Antequam pro Christi sepulcro exortum est bellum, monachi casinenses, ut ex chronicis accepimus, terrae sanctae studio flagrarunt. Saeculo decimo vergente vel undecimo ineunte Lyutius monachus antea, postea Iohannes abbas Hierosolymam petierunt [1]: tum etiam Theobaldus terram sanctam adiit, qua reversus abbas factus est, atque nonnullos codices transcribi mandavit, ex quibus quoddam Itinerarium memoratur [2]. Peregrinorum ante bellum sacrum historiam Leo Ostiensis scripsit [3], in qua de illa Peregrina, cuius de libro nunc agitur, eum non tacuisse, verum non leviter attigisse valde est probabile. Denique catalogus anno 1532 confectus, et supra memoratus, inter ceteros codices, qui ad loca sancta spectare videntur, unum refert, qui incipit: " Abbatissa „ cuius initium ad Peregrinationem, quam prodimus, non immerito referri posse arbitramur [4]. Codex non multo post, fortasse integer, Arretium delatus est, ubi damna propter monachorum incuriam maxima pertulit.

Si ultro quaerere velis, quaedam tibi argumenta non deerunt, ut eiusmodi utrorumque codicum translationis auctorem fuisse Ambrosium Rastrellini e Puppio, arretinae dioecesis oppido, possis suspicari. Is enim ab anno 1599 ad a. 1602 abbas fuit Montis Casini, saepe praefectus studiis, semper gravissimae in congregatione auctoritatis vir. Postea in Abbatiam arretinam s. Florae recessit, ibique diem suum clausit extremum [5]. Illud fortasse animo ipse versabat, tum s. Hilarium, tum Peregrinationem ad loca

[1] Petrus Diac. — *De ortu et obitu iustorum coenobii Casinensis,* n. XXIII et XXXV.

[2] Theobaldus fuit abbas ab a. 1022 ad a. 1035. Gattula, Chron. mon. Cas. cap. LI.

[3] Petrus Diac. — De viris illustr. Casin. cap. 30.

[4] Bibl. Casin. T. I, p. LXXXVII: « De infantia Salvatoris et nativitate s. Mariae et locis terrae sanctae, incipit: « Domino suo » et diversis aliis. Alius incipit: « Abatissa. »

[5] Puccinelli, *Cronica della Badìa di Firenze* p. 102. Fuit Ambrosius et abbas ss. Florae et Lucillae a. 1610, ibique obiit a. 1611, Gattula, Historia abb. Casin. II, pag. 703.

sancta in lucem edere, ideoque eos codices secum abduxit: sed mors, ut solet, consilia abrupit.

II.

DE S. HILARII MYSTERIIS ET HYMNIS.

S. Hilarius episcopus Pictavensis temporibus Constantii et Juliani fidei propugnator et confessor maxime fioruit: flagellum Arianorum, scriptorque acerrimus, eloquentissimus, inter principes ecclesiae patres semper est habitus. Quem s. Hieronymus summis laudibus exornavit, titulosque operum ab eo editorum recensuit, ex quibus perpauca integra, alia autem, quibus plurima desiderantur, ad nos pervenerunt, cetera denique deperdita sunt. Traditum est scripta fere omnia servata esse in celeberrimo monasterio pictavensi s. Hilarii: quod cum multa pertulisset, codices hilariani anno 1563 ibi igne periisse feruntur [1]. Spes tamen longa, utrum in quibusdam bibliothecis quidquid de deperditis conderetur, viros doctos tenuit [2]: quam quidem sustentarunt, quae ex virorum clarissimorum industria interdum in lucem edebantur [3]. Tractatum

[1] Vide S. Hilarii opera, Parisiis ed. 1605 et 1652 in quodam scholio in Commentationem Gillotii: « Pleraque eaque autographa anno Dom. 1563 ab impiis combusta fuerunt Pictavis. »

[2] Gillotii — De s. Hilario Comment. « Si forte quis investigandis veterum libris tantos reperiat thesauros eruere et in apertam lucem producere ad ecclesiae commoditatem non pigeat, » Martene-Vett. Script. Coll. T. IX, p. 57: « Satis dolere non possumus tot tantique doctoris monumenta, aut perisse omnino aut oblivioni sepulta alicubi iacere pulvere obsita. »

[3] S. Hilarii opus de Sinodis contra Ursacium et Valentem (quod s. Hieronymus apud Treviros transcripsit, Epist. ad Florentium) tempore Petri Venerabilis extitisse videtur, quod is in prologo libri primi adversus sectam Saracenorum scribit: « Est et alter (liber s. Hilarii), quem adversus iam dictos Valentem et Ursacium edidit. » Et quidem in vetusto catalogo monasterii dicti Beccum ad cod. 64 (Becker G. *Catalogi bibliothecarum antiqui*, Bonnae 1885, n. 86) legimus: « Hilarius de Sinodis et eiusdem liber contra Valentem et Auxentium. » Saeculo decimoquinto nonnulla historica fragmenta fuerunt ex eo opere trascripta a quo-

Mysteriorum et Hymnos bibliotheca casinensis et s. Hilarii Expositionem super Epistolas canonicas, nequicquam saepe perquisitam, continebat [1]: quamobrem Arretium delatam una cum praedictis fuisse arbitramur.

Discissus ac fere dimidiatus ad nos hic Tractatus Mysteriorum pervenit: initio enim paginisque intermediis liber primus caret, duobus quaternis liber secundus. Quae sit operis summa, quomodo rem sibi propositam explicaverit auctor, perspicimus tamen. Praeterea, quae in fine operis leguntur, epilogum quemdam exponunt: " Finit Tractatus Mysteriorum s. Hilarii episcopi ab Adam usque „ ad Noe, deinde Abraae, Isaac, Iacob, Moysis, et Osee prophetae „ et Heliae „. Quae ad patriarchas in primo declarantur libro, quae ad prophetas in secundo. Quamobrem si Hieronymi verba perpenderis [2]: " Liber Hymnorum et Mysteriorum alius „: tibi ille hoc opus hilarianum improprie indicasse videbitur: in medio enim est, non uno libro sed duobus constare tractatum. Solemne quidem fuit apud antiquos ecclesiae patres, quicquid in veteris testamenti libris continetur, ut novi institutionem, ut adventus Christi salutisque humanae prophetiam fuisse, et sancte credere et ingeniose requirere. In eiusmodi studium s. Hilarium toto pectore incubuisse libri ab eo editi maxime testantur. Ipse enim, quid de

dam erudito viro, ut in illis edendis retulit Nicolaus Faber – Fragmenta ex opere historico ex bibliotheca P. Pithoei, Parisiis 1598. Quum P. Custant optimam editionem hilarianam confecisset, inedita quaedam inseruit: item P. Martene Tractatus in aliquot psalmos primus evulgavit. Si Sixto Senensi (Bibl. Eccles. I, p. LXV) fidem addere volumus, tum ferebatur in Hispania condi totum psalterium cum commentariis Hilarii. Etiam Liverani in suo spicilegio Liberiano edidit fragmentum capitis secundi in Mattheum. Neque est praetereundum, quod saeculo decimo in monasterio Laureshamense aliquot epistolae s. Hilarii servabantur, ut in catalogo patet, edito a Becker, o. c. n. 36: quibus ex epistolis ab Hieronymo memoratis nulla naufragio temporum evasit.

[1] In Catalogo a. 1532: Expositio. sci Ylarii super Epistolas canonicas incipit: Septem. Tractatus in quasdam Pauli epistolas, quos cl. v. Ioh. Bapt. De Pitra sub nomine s. Hilarii in lucem prodidit (*Spicilegium Solesmense* T. I p. 49), non ad eum sed ad Theodorum Mopsuestenum pertinent latine conversum, ut comperimus ex editione modo confecta a H. B. Swerte, Cambridge 1882. vol. 2, in 8.

[2] Hieronym. *De Script. eccles.* in Hilario.

Mysteriis intellexerit, ita declaravit, ut mirum sit, virorum doctissimorum sententias in coniiciendo, quid in eo opere sibi voluerit, tantum a veritate aberrasse. Nam in libro quinto de Trinitate haec scripsit: " Tenet adhuc sacramenti evangelici legis umbra, „ et apostolicae doctrinae veritatem mysteriis suis aemula praefi- „ gurat „. Deinde tractatum Mysteriorum, quo nihil potest difficilius, aggressus, hanc eamdem illorum definitionem declarationemque in exordio profitetur: " Omne autem opus quod sacris voluminibus „ continetur, adventum Domini nostri Iesu Christi et factis expri- „ mit et confirmat exemplis „. Procul igitur dubio hic tractatus de Mysteriis, quem in manus habemus, s. Hilario ex ipsis eius sententiis adscribendus est. S. Hieronymum testem protulimus, Hilarium Mysteriorum librum confecisse. Non parum deinde ad rem confert codicis antiquissimi titulus, atque notitia illa, quod Desiderius abbas exemplanda praecepit s. Hilarii opera, in quibus Mysteria adnumerantur. Praeterea rem ipsam probant, quae Hilarius explicuit, argumenta, quaeque alias fere iisdem verbis nonnumquam tetigisse videtur. Denique sibi hoc opus ipse vindicat stilo suo peculiari, acuto, difficili aedepol et laborioso.

Subsequuntur Hymni s. Hilario adscripti, ex quibus unus tantum superest, cuius et finis desideratur: hic primus profecto est, quem in libro Hymnorum ipse inseruit. Mox multa in codice desunt, quod sex pagellae interiores e quaternione avulsae sunt. Septima vero atque octava duos hymnos non integros complectuntur: quorum primum non edidit Hilarius, sed spectabilis foemina cecinit, ingenio praedita praestantissimo, ab ethnica religione ad christianam adducta.

Fides ut in populo firmaretur, Iesum Christum Dei filium humanitatem in divinitate assumpsisse, primum hunc Hilarius hymnum elucubravit. Illud est animadvertendum, sensum atque versum in divini argumenti subtilitate irretiri, obscurosque aliquando fieri. Quod Hilarius praesentiens, litteras cuiusque strophis acrosticas alphabetico ordine disposuit, ut populo canenti memoria

promptior redderetur. Quem modum quum poetria in altero hymno adhibuisset, num hanc acroiseos rationem fuisse in antiquissimis ecclesiae canticis negare possemus?

Argumenti fortasse difficultas, eloquiique implicatio effecit, ut hymni hilariani in oblivionem adducerentur, ac pene senio conficerentur. Nullum ecclesia sibi ipsa servavit: qui pauci a viris doctis atque in aliquot codicibus Hilario tribuuntur, si hymnum matutinum excipias, quem exul Abrae filiae suae ipse misit, ad eum non pertinere ad criticen comprobantur [1].

Primus ille profecto hymnorum auctor fuit in ecclesia occidentali, teste Isidoro Hispalensi[2]: " hymnorum carmine floruit primus „. Nempe nobis, qui ante illum carmina sacra latine tentaverit, notitia non extat. Ad illa condenda excitatus est, non solum ex eo, quod sibi vetustum in oriente morem laudum sacrarum canendarum in mente revocaret, verum etiam ab arianis ipsis, qui hymnorum quoque modulatione ad suam haeresim christianos allicerent [3]. Ergo ut in magna ecclesiae perturbatione fidem pietatemque foveret, ut hostibus eadem raperet arma, hanc devotam oblectationem elegit instituitque, quam romana ecclesia non sine maximo fructu amanter prosecuta est.

Quae tandem carminum Hilarium suscepisse argumenta, nos Concilium docet Toletanum quartum can. 12: " Nonnulli hymni „ humano studio in laudem Dei atque Apostolorum et Martyrum „ triumphos compositi esse noscuntur: sicut ii, quos beatissimi „ doctores Hilarius et Ambrosius ediderunt „. Ex eo autem quod ille quodam in hymno ut Hieronymus refert, Gallos indociles vo-

[1] Hymnus: « Gloria in excelsis Deo » s. Hilario tribuitur ab Alucino (De div. officiis, in celebratione missae). Ab Hiacmaro in libro — *De non trina Deitate* — hymnus nocturnus: « Hymnum dicat turba fratrum. » A card. Thomasio in suo hymnario de anni circulo hymni duo, alter in Epiphania, alter « Gloria in excelsis.» Ab Erasmo hymnus de Cruce.

[2] Isid. Hispal. Off. eccl. l. I, cap. 6.

[3] De s. Hilario hymnographo consule p. Coutant in praefatione operum ejusdem: Honoratum a s. Maria in *Animadversiones in regulas critices* l. IV, diss. 7. Card. Quirinium in epistola vigesimaquinta.

caverit[1], congruum est coniicere, vel maximam Galliae partem tum ad sectam arianam propensisse, vel ad pietatem cultumque catholicae fidei indocilem praebuisse[2].

Ex reliquis duobus hymnis primus a quadam neophita, doctrina et fide praestanti, proditus est. Ipsa enim de se loquitur, praesertim in strophe illa, qua suam ex fide noviter accepta laetitiam denunciat:

Renata sum, o vitae — Laetae exordia!
Novis quae vivo — Christiana legibus.

Mortem Christi resurrectione victam ac resurrectionis fidem canit ipsa non frigido laboriosoque ut Hilarius eloquio, sed fervido et soluto, prope excitata numine sacro. Alter hymnus in diabolum vel satanam exaratus, fortasse propter stilum atque sententias plus Hilario quam neophitae adiudicandus esse videtur.

Quamquam, ut patet, horum hymnorum saltem primus est foeminae illustri referendus, tamen opinio, utrumque in libro s. Hilarii receptum insertumque fuisse, duobus fulcitur argumentis. Primum quod, si illos ut quamdam libri additionem fuisse putemus, hic liber profecto non plus quam quinque aut sex hymnos, quot scilicet in tribus codicis foliis scribi possent, complexus esset. Quam quis nostrum, cum Hilarium more suo librum composuisse animadvertamus, seu Rhodanum suum non protinus arescere repetamus, tantam crederet tenuitatem? Secundo quod Hilarius ipse utrumque hymnum quadam commotus voluptate memoret

[1] S. Hieron. in praef. in l. II ad Galatas: « Hilarius latinae eloquentiae Rhodanus, Gallus ipse et Pictavis genitus in hymnorum carmine Gallos indociles vocat. »

[2] Hymnorum hilarianorum iactura nobis est maxime conquerenda, sive ecclesiae liturgiam, sive antiquissimam canendi rationem spectaveris. Quod interitum in abbatia arretina saeculo decimo septimo evenisse probabile est, propterea quod saeculo subsequenti nonnulli monachi scientia praediti ibi claruerunt, et, ut retulimus, abbas De Costanzo hymnos s. Hilarii ea, qua illos nunc videmus, conditione in archio monachorum invenit.

his verbis [4]: " Audiat orantis populi consistens quis extra eccle-
„ siam vocem, spectet celebrem hymnorum sonitum, et inter divi-
„ norum quoque sacramentorum officia responsionem devotae con-
„ fessionis accipiat. Necesse est terreri omnem adversantem, et
„ bellari adversus diabolum, vincique resurrectionis fide mortem,
„ tali exultantis vocis nostrae, ut dictum est, jubilo „. Itaque hymnos in diabolum et in mortem quum Hilarius haec scribens respexisset, non modo certiores nos facit eosdem inclusos suo in libro fuisse, verum nobis etiam ostendit illum neophitae sibi fuisse maxime carum. Quam ob rem nos adduci fatemur ut iure dubitemus, hymnum esse s. Florentiae ad fidem catolicam ab eo conversae tribuendum. Fortunatus in vita s. Hilarii nos docet Florentiam puellam gentilem, ubi sanctum episcopum prope Seleuciam transeuntem vidit, voce magna servum Dei illuc advenisse testatam esse, moxque ad eius pedes procubuisse. Quam Florentiam pater et cuncta familia postea sequuti sunt, atque in nomine Domini meruerunt baptizari: " Florentia, ut Fortunati verbis utamur,
" relictis parentibus vestigiis eius inhaerens usque Pictavos per-
„ ducta est. Patrem vero se habere, non a quo generata est,
„ sed per quem regenerata est, praedicabat „. Si ergo Florentia Hilarium ut patrem, ille eam ut filiam, respexit, peculiari studio aptisque officiis digna tum fide et pietate tum ingenii acumine summo viro procul dubio visa est. Cuius piae foeminae corpus, ubi e vita migravit, ab ipso Hilario sepulturae mandatum est eo in loco, qui nunc dicitur *Comblé* [5]. Quae omnia apprime conveniunt, ut eam hymnum, in quo suam ad Christum conversionem fatetur, mortemque fide resurrectionis deletam persequitur, Hilario praeceptore scripsisse statuamus.

[1] Tractat. in Psalm. LXV.
[2] Labbé, Bibl. Manuscr. t. II, p. 732 in Miscellanea Rerum Aquitanarum.

III.

DE PEREGRINATIONE.

Peregrinationis ad loca sancta codex est fragmentis hilarianis adiunctus atque una consutus: verum vetustiore littera exaratus mihi fuisse videtur. Duobus et viginti chartis sive quatuor et quadraginta pagellis constat, cui multa in initio, nonnulla in fine desiderantur, duobus etiam mediis foliis abscissis. Quem titulum id praeclarum opus habuerit, omnino statuere nequeo. Inquirentibus nobis aliquid luminis a nexu PE bis scripto, uno in extremo pagellae tertiae angulo, altero in media pagella nona et sexagesima interlineato allatum est, ut potius Peregrinationis quam Itinerarii titulum eligeremus. Revera illud est locorum sanctorum descriptio, minime itinerum aut mansionum notatio. Nomen auctoris omnino latet: sed tantum liquet, qui iter fecit, idem eum ipsum descripsisse. Foemina illustris fuit, e Gallia profecta, de qua quid sentiam postmodum explicabo.

Fragmenti initio peregrinam offendimus vallem Sinai subeuntem, quae cum montem sanctum adscendisset, mox lustravit omnia circum. Regressa per Clysma Aegyptumque Hierosolymis aliquanto subsedit. Deinde montem Nabau ascendit, postea patriam Iob in regione Nabathaea petivit. Tribus annis peregrinationis peractis, Hierosolymam linquens pergit Mesopotamiam ad Charras usque: in reditu Seleuciam Isauriae attingit; deinde quum Constantinopolim pervenisset, in urbe morata est, ibique suam, ad venerabiles sorores, quae in Gallia, ut videtur, degebant, peregrinationem descripsit, addiditque notitiam coeremoniarum sacrarum, quae tum Hierosolymis ex more fiebant.

Haec breviter perstrinxi, ut ea, quae in fragmentis arretinis servantur, sub aspectum subiicerem. Mihi enim in animo est ex

iis, quae ex codice integro vel parum mutilo Petrus Diaconus desumpsit, quaeque nobis supersunt, deprehendere ac exponere, quae loca peregrina lustraverit, quem modum habuerit peregrinandi. Cuius si certa vel incerta si Petri Diaconi vestigia sequamur, nobis coniicere fas est, quid detrimenti vel exitii hoc opere deperdito illarum regionum notitiam reique christianae coepisset.

Antea e Gallia Costantinopolim longum iter peregrinam suscepisse non dubitamus; hinc Asiae provincias quae in Itinerario Burdigalensi adnotantur, trangressam Hierosolymas subiisse [1]. Quam civitatem ut domum incoluit, Anastasin, ceteras ecclesias, resque sacras summa venerans religione. Quum ad loca proposita quoddam iter confecisset, Hierosolymam semper redibat, ibique tres annos eadem ratione transegit.

Primum quidem iter piae foeminae ab Hierosolymis [2] ad Bethleem, et Sepulcra regum, et ecclesiam Pastorum fuisse perspicitur: duodecimo milliario situm erat sepulcrum Amos prophetae: protinus de monte loquuta esset, quem contra mare mortuum positum Herodes effodi, ibique sibi palatium condi praecepit. Deinde ipsa adiit sepulcrum Iosue, et rediens monumenta spectavit Eleazari et Finees, praegressa Cariathiarim, ubi arca Domini stetit.

Secundum iter [3], quod tamen cum altero non bene decerni potest, ad Hebron et Therebintum statuendum est, quem prope vinea dicta *Abramiri* ostendebatur, ubi corpora filiorum Iacob posita erant.

Tertio itinere Palestinam et Galileam videndi desiderium explevit [4]. Hierosolymis profecta Ierichuntem contendit, collapsam desertamque civitatem, quam prope indicabatur locus quo Helias raptus est. Deinde viam per Gabaon et Emmaus coepit pergens Galileam. Montem Hermon more suo, ut est valde probabile, ascen-

[1] Ipsa de se in reditu, p. 75: « Faciens iter notum per singulas provincias, quas eundo transiveram, id est Cappadociam, Galatiam, et Bithiniam perveniens Calcedona. »

[2] Vide Petr. Diac. p. 122.

[3] Petr. Diac. p. 124.

[4] Petr. Diac. p. 128, et 130.

dit, inde progressa est Naym, et Sichem, sive Neapolim. In civitate Nazareth domum Mariae atque proximum fontem, ad quem Virgini Angelus apparuit, adoravit. Montem etiam Thabor eam adscendisse non dubito, cum propter loci sanctitatem, tum quod eius altitudinem regionesque, quae e vertice visuntur, commemoraret. Mox pedem divertit ad Tiberiadem et Capharnaum, montisque proximi specum adspicit, ubi Dominus populo sermonem benedictionum fecit. In reditu Gebus transit, et campum maledictum Iezrael: Iordanem flumen sinistrorsum linquens, petit Samariam, postea Sylum, deinde Bethel: protinus ostenditur ei campus, ubi David Goliam occidit. Hierosolymam denuo praetergrediens Eleutheropolim novit et Morastitem, quo loco sepulcrum Micheae prophetae colebatur.

De quarto itinere ad Aegyptum et Thebaida, quod firmissimo animo peregit, pauca sunt dicenda. Tantum colligimus[1], quod ad urbem Tanim ad ostia Nili, primum pervenit, hinc Alexandriam. Postea adverso flumine, vel via propter illud Thebaida usque se contulit[2], ac monasteris lustratis, sanctos viros devote convenit. Sed quae viderit, quam sit regionem assequuta, nescimus, quia hanc peregrinationis partem Petrus Diaconus omnino neglexit. E Thebaide viam elegit per Memphim et Babyloniam, a qua non longe pyramides mirata est. Viam per Heliopolim prosequuta, de celebrato solis templo, quod ibi maximum fuit, atque de Petefrae domo mentionem fecit. Ad Nili dexteram regionem Gessen ingreditur, quae uberrima Aegypti pars tunc Augustamnica appellabatur, et in Arabiam civitatem devenit[3]. Equidem, ut Hierosolymam teneret

[1] Peregrin. p. 46: « Sane licet terram Gesse iam nossem, id est qua primitus ad Egyptum fueram. » Petr. D. p. 134 et 135.

[2] Peregr. p. 50: « notus mihi iam satis, de eo tempore, a quo ad Thebaidam fueram. » Et paulo inferius: « Et licet ea loca, ut superius dixi, iam nossem, id est quando Alexandriam vel ad Thebaidem fueram. »

[3] Petr. D. p. 136 Peregr. p. 50: « Agger publicus erat per Aegyptum, quod transiebatur per Arabiam civitatem, id est quod mittit de Thebaida in Pelusio.» Vide Itiner. Antonini: « Iter a Pelusio Memphi m. p. CXXII, » et Tab. Peuting: « Pelusio — Phacusi etc. »

non liquet utrum desertum difficillimo itinere traiecerit, an viam publicam per Pelusium elegerit [1].

Quintum iter ipsa instituit ad aspiciendum montem Sinai. Itaque Hierosolymam linquens mense decembri Pelusium perrexit [2], atque per isthmum recto itinere Clysma contendit. Hoc de castro portuque maris rubri, cuius ad litus transitus filiorum Israel evenisse ferebatur, quam descriptionem ipsa tradidit, nobis servavit Petrus Diaconus. A Clysmate peragravit desertum Sur, deinde invenit mansionem in Maran, et accedens ad mare rubrum subsistit in Arandara, (hodie *Garundel*) optima in heremo mansione, quae fuit Helim. Quum per desertum Faran processisset, rupes in montibus inspexit excavatas ad cubicula et obsignatas litteris arameis. Accessit ad vicum Faran, montiumque angustias penetravit, ubi Moyse adprecante Amalecitae profligati sunt. Inter Faran et Sinai vulgaris traditio mansionem Aserot et sepulcra concupiscentiae tum peregrinae indicabat: quae transitu inter montes asperrimo superato vallem sinaiticam subiit, laeta quod montem sanctum prospiceret. Ab hoc itineris momento exordium sumit fragmentum codicis arretini, sive antiquae peregrinationis, quam studiose sequemur.

Montis Sinai [3] verticem reptando in rupes asperrimas viriliter assequitur, in quo ecclesia parva erat, et spelunca Moysis. Mons quidem ille mihi ea, quae describuntur, inquirenti potius nunc s. Catharinae quam Moisis, quem in notis praetuli, fuisse videtur. A quo in alium, vocatum Oreb, transgressa, se in monasterium, ad pedes montis et ad rubum Moisis positum, nocte appropinquante recepit. Observatis omnibus, quae de monte et valle Si-

[1] Petr. D. p. 136: « Pars Arabiae, quae iungitur Palestinae, inaccessibile iter habet, nam licet mansionibus quindecim etc. »

[2] Petr. D. p. 136 et seqq. Peregr. p. 35 et seqq. Mense decembri iter ad Sinai suscepit, quos, cum rediret, festum Epiphaniae agebat in Arabia civitate Aegypti. Eo tempore Postumianus Gallus jugum Sinai montis ascendit. Sulp. Sev. Dialog. De virtut. monachorum.

[3] Peregr. p. 38.

nai a Moise narrantur, quaeque monachorum pietas significabat, ad Faran per eamdem laboriosam viam reduxit pedem, mox secus mare rubrum procedens denuo ad Clysma pervenit. Quum vero ipsa revisendae terrae Gessen flagraret studio, ut mansiones, quae in Exodo leguntur ab urbe Ramesse ad mare rubrum, oculis suis confirmaret, illud sibi propositum iter suscepit. Relicto igitur Clysmate atque ad laevam proximo monte, hodie *Ataka,* novit Phihairoth et Magdalum et Beelsephon: in deserto erat Oton appositum, Socchoth in valle, quae fortasse hodie *Wady Tumilat*[1] nominatur. Appropinquavit deinde civitati Pithom, quae nuper cl. viri E. Naville summa industria recognita est ac fere excitata in loco dicto *Tell-el-Maskhuta*[2]. Mox Heroopolim tantum novem milliariis a Pithom dissitam accedit[3]. Duodecim autem ab Heroopoli magnae iacuerunt ruinae Ramesse urbis faraonicae[4], quas Arabiae episcopus verum ei obviam procedens indicabat, non satis bene exponebat. Ex Arabia civitate dein biduo loca amoena Gessen peragravit usque ad Tanim, quumque autem viam iam notam habuisset, inivit Hierosolymam.

Sextum iter ad montem Nabau[5], vel Nebo, ubi e vita exces-

[1] Peregr. p. 47: « Socchoth autem est clivus modicus in media valle. » Non longe erat a Pithom, ut ex monumentis pharaonicis a Naville repertis colligitur (o. c. p. 13, et seqq.).

[2] Naville E. *The Store — city of Pithom, and the route of the Exodus, London,* 1885.

[3] Pithom et Heroopolim unam fuisse civitatem contendit Naville (o. c. p. 5-9) argumentis levioribus fretus contra antiquorum consensum unam ab altera distinguentium. Illud enim ei parum prodesse mihi videtur, quod versio coptica ex graeco Ἡρώων πόλιν (Genes. c. XLVI, 28) in Pithom biblicum trsatulerit: quae nominum confusio orta est fortasse ex harum urbium propinquitate. Huic sententiae Peregrina luculentissime accedit (p. 48): « nunc Phitona castrum est. Heroum autem civitas. » Nec non rem confirmat, quae inter vel prope ruinas Pithom reperta est antiqua inscriptio novem milliarium ab hac ad Ero, ut explicavimus, intervallum admonens. Vestigia etiam viae romanae apud *Tell-el-Maskhuta* cernuntur, quae si sequi possent ad locum Heroopoleos ducerent.

[4] Societati Anglicae, ad Aegypti antiquitates explorandas constitutae, valde opportunum futurum esse censeo, si regionem, in qua urbs Ramesse a Peregrina indicatur, pervestigaret.

[5] Peregr. p. 51-56.

sit Moises, est etiam adnumerandum. Traiecto Iordane Liviadem accedit, postea cacumen Nabau adepta est. Quo loco Palestina omnis visebatur, et regio olim Amorrheorum, et Segor non longe posita, cuius episcopus se piae mulieri comitem adiunxerat.

Septimo itineri se commisit ad colendum sepulcrum Iob[1], quod in vico Carnaim extremae Batanaeae esse putabatur. Iordanem cum advenisset, propter flumen aliquanto ambulaverat, cum in colliculo Salem vicum prospexit, qui olim fuit civitas parva Melchisedech. Non longe erat fons Enon, in quo baptizavit Ioannes. Ego vero anceps sum utrum in dextra Iordanis parte, an in laeva sit et fons Enon, et Salem, fluminisque Corrae vallis, quam commemorat, statuenda. Si laevam elegi, et quaedam ad rem argumenta protuli, tamen nihil adfirmare ausim. Ad sepulcrum Iob fabulosam corporis inventionem ab episcopo Carnaim audivit, cuius e manibus etiam divina suscepit sacramenta.

Tribus annis expletis peregrinationis suae, visis omnibus locis sanctis, eam desiderium patriae sollicitat. Hierosolymam linquit, sed iter in Mesopotamiam, ad monachos sanctos et s. Thomae apostoli martyrium invisendum, corde meditatur[2]. Ubi ergo Antiochiam accessit, pedèm vertit ad Coelen Syriam, inde ad Euphratensem provinciam, cuius metropolis, quam vidit, fuit Ierapolis: a qua quindecim millibus passuum distabat flumen Euphrates. Quo navibus praetergresso Bathnas Osdroenae pervenit, cuius episopus fuit monachus et confessor, postea Edessae triduo subsistit[3]. Ibi factis orationibus in nova et pulcherrima ecclesia et ad martyrium s. Thomae, eam episcopus etiam confessor fidei libenter duxit ad videnda palatia et fontes et monumenta Abgari regis, eiusque familiae: deinde cupidissimis illius oculis subiicit perce-

[1] Peregr. p. 56-62.

[2] Peregr. p. 62: « Cum iam tres anni pleni essent, a quo Ierusolimam venissem: visis etiam omnibus locis sanctis, ad quos orationis gratia me tenderam et ideo iam revertendi ad patriam animus esset. »

[3] Peregr. p, 63-68.

lebrem epistolam Christi ad Abgarum, quae religione summa Edessae servabatur.

Postea progressa est usque ad Carras, quae Haran in Genesi[1]: ibidem etiam est ab episcopo monacho et confessore recepta, monachosque austeritatis laude praeclaros convenit: Phadana autem invisit, vicum civitati sex milliariis proximum, ubi ostendebatur puteus Labani. Quum quidem longius ipsa abire non posset propter romani imperii fines paulo ante cum Persis in Mesopotamia constitutos, Antiochiam per easdem mansiones regressa est. Sed priusquam Constantinopolim pergeret, martyrium s. Theclae in Seleucia Isauriae celeberrimum pietati suae addere maluit. Quamobrem gressum direxit Tarsum Ciliciae, dein Pompeiopolim et Coricum, tertio die perveniens Seleuciam[2]. Quam prope civitatem erat monasterium s. Theclae situm, quem Marthana diaconissa regebat amicissima peregrinae. A Seleucia Tharsum reversa, viam, quae etiam signata est in Itinerario, per Cappadociam et Galatiam et Bithyniam confecit, pedem sistens Calchedone Bithyniae propter sepulcrum s. Euphemiae. Bosphoro traiecto Constantinopolim se recipit, ibi debitas in Apostolorum caeterisque ecclesiis Deo retulit gratias, quod tantam peregrinationem ad loca sancta coelesti auxilio perfecisset. Verum cum de illa sacrisque relationem perscriberet, sibi statutum iam erat Asiam denuo proficisci ad cultum sepulcro s. Ioannis apostoli tribuendum Ephesi, quod tum peregrinorum pietas magnopere frequentabat[3]. Equidem incerta utrum in patriam rediret, ea, quae viderit, scriptis referre pollicetur, postremo se ad preces sororum venerabilium commendat.

[1] Peregr. p. 64-72.

[2] Peregr. p. 73-74.

[3] Peregr. p. 75: « Cum haec ad vestram affectionem darem, iam propositi erat, in nomine Iesu Christi domini nostri ad asiam accedendi, id est Ephesum.»

IV.

DE TEMPORE PEREGRINATIONIS.

Sed iam quo tempore haec peregrinatio ad loca sancta facta sit operae praetium est pervestigare: quae nobis rem planam faciant, argumenta non habemus; sed quaedam ad veritatem, tamquam rivulos ad fontem, ducentia carpere licet.

Primum, quum de tempore inquiramus, quasi argumentationis caput retinendum est illud: quod peregrinatio non multo post turpem Ioviani cum Sapore Persarum rege pactionem, qua anno 363 imperii romani fines imminuti sunt, evenisse videtur. Verba enim episcopi Carrarum eam rem respicientia sunt haec[1]: " Nam hinc „ usque ad Nisibin mansiones sunt quinque, et inde usque ad Hur, „ quae fuit civitas Chaldeorum, aliae mansiones sunt quinque: sed „ modo ibi accessus Romanorum non est; totum enim illud Per- „ sae tenent. Haec autem pars specialiter orientalis appellatur, „ quae est in confinium Romanorum et Persarum vel Chaldeorum „. Omnis, ut liquet, ex illa voce *modo* interpretatio pendet: verum enim quantum temporis ab anno pactionis Ioviani ad peregrinationis elapsum sit, plurimum est difficultatis aperire.

Quum Peregrina Edessam advenit, ecclesia s. Thomae erat *nova dispositione* magnifice constructa[2]: quam aedificationem catholici sub Valente perfecerunt. Valens ipse anno 372 magnitudinis illius fama commotus Edessam devenit ecclesiae videndae gratia: ibique, cum arianus esset, eam persecutionem in catholicos inivit, quorum ut neminem non modo ecclesiam adire, sed etiam ex ea quemquam arceri iusserit. Neque tamquam aliud temporis argu-

[1] Peregr. p. 71.

[2] Peregr. p. 64. Anno 372 Valens in Mesopotamia versabatur, quum contra Saporem regem Persarum bellum ageret.

mentum, quod Peregrina suo stylo commemorat, praeterire debemus[1]: " Pervenimus in nomine Christi Dei nostri Edessam: ubi „ cum pervenissemus, statim perreximus ad ecclesiam et ad mar„ tyrium sancti Thomae „. Distinguit illa sane martyrium ab ecclesia; quod quum sepulcrum s. Thomae in novam ecclesiam traslatum esset anno 394 a Cyro episcopo, ut in Chronico edesseno legitur, eam antea vidisse Edessam nobis statuendum videtur.

Verum nullam de arianis vel de ariana in catholicos persecutione ulla Peregrina mentionem fecit, pietatique suae nihil umquam impedimenti vel offensionis invenit. Omnia pacem, omnia religionem redolent: ecclesiae a catholicis frequentatae; episcopi in sedes suas restituti; monasteria ubicumque diffusa minimeque conturbata, virgines Deo sanctisque devotae[2]. Mihi illud iccirco perspicuum esse videtur, quod ea tempestas esset, quum mortuo Valente, devictisque arianis, pax erat ecclesiae reddita a Gratiano primum, mox a Theodosio magno. Qui legibus sub imperii sui initio promulgatis, ea praesertim qua anno 381 ecclesiae catholicis restituerentur[3], non modo de arianis victoriam paruit, sed etiam diuturnam in discrimine tanto tranquillitatem constituit. Quibus ex rebus ad rem spectantibus et mente perpensis, loca sancta potius Theodosii quam Valentis aevo Peregrinam lustrasse putandum est.

Ad sententiam quidem confirmandam non parum confert declaratio illa, qua scimus, episcopos et Bathnarum et Edessae et Carrarum, quos pia mulier in eorum sede convenit, confessores, seu persecutionem pro fide omnes passos, fuisse. A quo, quaeso, persecutio haec? Procul dubio a Valente, qui illos, ut constat, earumdem civitatum episcopos Abrahamium Bathnarum, Eulogium Edessae, Protogenem Carrarum e sedibus deturbavit, eiecit, aut

[1] Peregr. p. 64, n. 3.

[2] Peregr. p. 74: « Nihil aliumdem vidi nisi monasteria sine numero virorum ac mulierum. »

[3] Non solum in Arianos leges Theodosius edixit, sed etiam, ut est notissimum, in reliquos haereticos orientis.

in Thebaiden aut in insulas relegavit[1]. Ubi decessit, iidem in pristinam dignitatem revocati munere sunt suo posthac quiete defuncti. Eulogius anno edesseno 698 (aer. vulg. 387-388) mortuus est, cui Cyrus successit, quem fidei confessorem neque traditum est, neque fit verisimile sub Theodosio et Arcadio fuisse. Tempore ergo quo viverent ipsi, seu ante annum 389, Peregrina, ni fallor, in Mesopotamia versaretur.

Cuiusque nomen numquam Peregrina protulit, praeter Marthanae diaconissae[2], quae Seleuciae tum ascitarum, scilicet asperrimum vitae genus agentium, monasterium summa virtute regebat. Quam sui amicissimam esse dicit, quum eam Hierosolymis, quae orationis gratia illuc se contulit, cognovisset. Quamquam sanctitatis laude, si Peregrinae verbis fides adhibenda est, per totum orientem floreret, tamen in omnibus, quae in manus versavi, hagiographis de Marthana diaconissa frustra quaesivi. Eius nomen legimus tantum memoratum a Basilio episcopo Seleuciae, qui medio floruit saeculo quinto. Is in fine vitae sanctae Theclae, quum quasdam praeclarissimas foeminas, quae s. Theclam in monasterio sunt virtutibus persequutae, memorasset, primam Marthanam recensivit, postea caeteras quinque. Ex hoc colligi potest, Marthanam ut illius monasterii ascetarum auctorem habitam esse: quod si non antea, saltem Theodosii temporibus, evenisse non immerito arbitramur[3].

Illud etiam, quod de Apotactitis saepe mentio in Peregrinatione facta sit[4], quamdam nobis ansam statuendi temporis praebet. Ii ad Manichaeorum sectam addicti, aut in ea recensiti, se carne atque vino abstinebant, summam sustinentes inediam. Etsi duobus

[1] De his episcopis vide Le Queen *Oriens Christ.*, et Bollandistas, et Tillemont *Memoires pour l'Hist. Eccl.* T. VI, ut in notis posuimus.

[2] Peregr. p. 74, n. 2.

[3] Ariani monasteria virorum et virginum everterunt (S. Athan. Epist. ad solit. vit. agentes Oper. I, p. 859, ed. Paris, 1627): quae Theodosio imp. maxime refloruerunt.

[4] Peregr. p. 74, 88, 99, 100 et 104.

constitutionibus Theodosii anno 381, et 383 [1], una cum Manichaeis fuerunt damnati, tamen in Palestina postea diutius mansisse, publicis etiam supplicationibus se prodire non dubitabant [2]. Eos enim veneratione Peregrina memorat, quod veremur ne factura fuisset, si in eos damnatio legum lata vel cognita esset. Utcumque haec res se habeat, eam profecto vetustatem sapit, ut Theodosii aetatem omnino nequeat praeterire.

Quae alia minora esse videntur ad rem respicientia, non omittam. Quid de disciplina archani referam, quae tum manebat, ut sacrosanta mysteria palam non traderentur? [3] Ecclesias hierosolymitanas, nisi quae a Constantino fuerunt maximo cultu aedificatae, Peregrina commemorat, negat eas vidisse, quas ineunte saeculo quinto s. Mariae et s. Stephano dicatas esse scimus. Quum episcopus hierosolymitanus populo suas catecheses peritissime explicaret, aliquando maximo audientium plausu exceptus erat: nonne ille, qui adclamantes exprobrat, summus Cyrillus? [4] Cui graeca oratione utenti interpretes erant, qui ejus verba syris syriace latinis latine referebant: quod etiam a s. Epiphanio, qui tum Hierosolymas incoluit, traditum est. [5] Italicam sacrorum librorum versionem, quae ex graeca manabat, manu animoque versabat Peregrina: nondum, credere fas est, hieronymiana vulgabatur. Acta s. Thomae apostoli, et s. Theclae protomartyris eo tempore in ecclesiis devote legebantur [6], quae paulo post inter apographa reiecta sunt.

[1] Cod. Theod. tit. II l. 7 et 11. S. Epiphanii, De haeresibus c. 15. S. August. De haeres. c. 40.

[2] De Theodosii in haereticos constitutionibus bene observavit Sozomenus (Hist. l. VII c. 12), quod graves poenae ab eo propositae, non ut exequerentur, sed ad metum tantum promulgarentur, ut eos ad catholicam fidem revocaret.

[3] Peregr. p. 107 « quia adhuc cathecumini estis, misteria Dei secretiora dici vobis non possunt. »

[4] Peregr. p. 107, n. 4.

[5] Peregr. p. 107, Epiphan. Expositio fidei n. 21.

[6] Peregr. p. 64, et 74.

V.

DE PEREGRINA.

Quum huius peregrinationis tempus inter annos 381-388 vel ad minus aetate Theodosii magni ex argumentis, ni fallor, nequaquam levioribus definiendum curavi, magni nunc interest quaerere, quae pia foemina fuerit, quae haec talia peregerit, scriptisque reliquerit. Omnia loca sancta, ad quae orationis gratia se contulerat, curae sibi maximae fuit ad suas sorores venerabiles exponere, atque suum fuisset officium, coeremoniarum hierosolymitanarum notitiam addere [1]. Quas res ipsa confecit dictione simplici, ut si loqueretur, verbis utens vernaculis aliquando. Quibus soloecismis se neque romanam nec italam fuisse, sed occidentalis imperii regionibus ortam detegit.

Huius patria ferme fuit Gallia: nam flumen Euphratem quum ipsa vidisset, illud cum Rhodano comparavit [2]. Atqui Rhodanus non modo Peregrinae bene cognitus esset, sed etiam quibus scriberet sororibus. Alias confert maris rubri colorem cum oceani, mox illius maris pisces cum maris italici [3]. Itaque fortasse inter oceanum atque mare italicum patria sua, provincia Galliarum, porrigebatur. Praeterea ubi qua regione eam demigratam esse episcopus Edessae perspexit, haec ei alloquutus est verba [4]: " Video te, filia, gratia

[1] Peregr. p. 76: « Ut autem sciret affectio vestra, quae operatio singulis diebus cotidie in locis sacris habetur, certas vos facere debui. » Et p. 104: « Et illud etiam scribere debui, quemadmodum docentur hi, qui baptidiantur per pascha. »

[2] Peregr. p. 63: « flumen magnum Euphraten, et ingens, et quasi terribilis est; ita enim decurrit habens impetum, sicut habet fluvius Rhodanus, nisi quod adhuc maior est Euphrates. »

[3] Petr. D. p. 139: « Mare autem rubrum. . . . adeo est limpidus et praelustris et frigidus, ac si mare oceanum. . . . Omne autem genus piscium in eodem mare sunt tanti saporis, ut pisces maris italici. »

[4] Peregr. p. 65.

„ religionis tam magnum laborem tibi imposuisse, ut de extremis „ porro terris venires ad haec loca „. Sane quidem Mesopotamiam incolenti Gallia sita erat in extremitate terrarum.

Desiderium patriae revisendae, quo ipsa afficiebatur, ex corde scatet tristitia suffultum. Quoniam veretur, ne voti sui compos sit: verum negat, quid sibi esset impedimenti, quominus ad patriam proficisceretur, et quaenam caussa eam in urbe Constantinopoli detineret [1].

Cuidam hanc monasterio dicatam esse nos etiam docemur, quum officii sui ratio postularet, ut ad sorores venerabiles de locis sanctis, quae vidisset, ritibusque illius ecclesiae referret. Quam autem dulcissimis verbis suam ergo illas dilectionem declarat! Quas modo *lumen meum*, modo *vitam meam*, modo *dominas meas* vocans [2], ut nihil antiquius vel studiosius sibi sit, quam eas amore complecti. Mihi igitur Peregrina non solum eiusdem, qua illae tenerentur, religiosae vitae particeps fuisse, verum etiam in monasterio tum dignitate praestare, tum priore officio functa videretur [3].

Relicta patria, vale dato sororibus suis, religionis studio incitata Hierosolymam pergere contendit. Itinera longa et asperrimos labores sustinet corpore animoque virili: hinc longius non horret abire, deserta torrida Thebaidos peragrare, atque oblita sui Sinai scandere rupes. Quid? uno die pedibus continuo e valle montem Sinai subiit, attigit, protinus Oreb lustrando monasteria, sero denuo ad vallem. Itaque mulieri fortissimae neque aestu aut

[1] Peregr. p. 75: « Si autem et post hoc in corpo fuero, si qua preterea loca cognoscere potuero, aut ipsa praesens, si Deus fuerit praestare dignatus, vestrae affectioni referam: aut certe si aliud animo sederit, scriptis nuntiabo. Vos tantum, dominae, memores mei esse digneminі, sive in corpore sive extra corpus fuero. »

[2] Peregr. p. 55: « dominae venerabiles. . . . . ideo fallere vos super hanc rem non possum. » p. 68: « Unde si Deus noster Iesus iusserit, et venero in patriam, legam eas (epistolas Aggari et Christi) vobis, dominae animae meae. » Et p. 75: « De quo loco, dominae, lumen meum: » et similia.

[3] Saeculo quarto monasterium sacrarum virginum floruit in vico Claudiomago situm inter fines Biturigum et Turones. Sulpic. Sev. Dial. II.

frigore, neque itinere difficili, neque precibus continuis, studioque alacri nativus vigor umquam deficiebat. Tantos enim sibi imposuit labores, non solum ut religionis zelo animique pietati satisfaceret, verum etiam ut voluminum sacrorum sensus penitus intelligeret sive locorum ipsorum visu, sive traditione ex auditu servata[1]. Quae de s.ª Paula Hieronymus singulari eloquentia scripsit, non minoribus procfeto me de Peregrina verbis uti oporteret.

Neque huic deerat auctoritas summa, quam omnes honore prosequebantur. Nam milites pro disciplina romana in regionibus infensis ei auxilia praebebant[2], episcopi autem civitatum, per quas transiret, se obviam ire comitesque fieri praestabant. Quomodo quaedam sanctimonialis in Gallia, sacrisque tota, ut patet, dicata hanc in oriente obtinuerit salutationem? Quorsum, si tanti haberetur, cum patriam animo peteret, Constantinopoli decedere non potuisset? Nonne, ut Melania romana, eam cum familia nobili, aut viro apud imperatorem versante devinctam esse arbitremur?

Haec de Peregrina ex eius scriptis colligere fas est, patriam, vitam religiosam, summam pietatem, studium acre adeundi loca

[1] Peregr. p. 44: « Etiam et omnibus sanctis nec sufficio gratias agere, quoniam parvitatem meam dignabantur in suis monasteriis libenti animo suscipere vel certe per omnia loca deducere, quae ego iuxta scripturas requirebam. » P. 46: « Ut praeviderem omnia loca, quae filii Israel, exeuntes de Ramesse, tetigerant euntes, donec pervenirent usque ad mare rubrum. » P. 47: « Ostendebant nobis singula loca, quae semper ego iuxta scripturas requirebam. » P. 52: « Nobis semper consuetudinis erat, ut ubicumque ad loca desiderata accedere volebamus, primum ibi fieret oratio; deinde legeretur lectio ipsa de codice, diceretur etiam psalmus unus pertinens ad rem, et iterato fieret oratio. » P. 59: « Quia retinebam scriptum esse baptizasse sanctum Iohannem in Enon iuxta Salim, requisivi de eo, quam longe esset ipse locus. » P. 68 de epistolis edessenis: « licet in patria exemplaria ipsarum haberem, tamen gratius mihi visum est, ut et ibi eas de ipso acciperem, ne quid forsitan minus ad nos in patria pervenisset: nam vere amplius est, quod hic accepi. » P. 70, requirit ab episcopo Carrarum quando Naor venisset in Haran, et quo loco Hur situm esset. Verum quam in sacris cognitionem haberet, satis ostendit ex iis, quae de coerimoniis hierosolymitanis exponit.

[2] Peregr. p. 47: « Ut cata mansiones monasteria sint cum militibus et prepositis, qui nos deducebant semper de castro ad castrum. » P. 50: « Nos autem inde remisimus milites, qui nobis pro disciplina romana auxilia praebuerant, quamdiu per loca suspecta ambulaveramus .... et ideo non fuit necesse vexare milites. »

sancta atque intelligendi scripturam, animi corporisque fortitudinem, magnam denique auctoritatem: quo praeterea tempore Hierosolymam, per Aegyptum et Mesopotamiam iter suscepit, aetate scilicet, ut diximus, Theodosii, vel potius inter annos 381-388. Nomen tantum eius nobis ignotum, quod ea conditione iisque virtutibus praedita cum quavis ex illis omnibus praesertim ab Hieronymo memoratis conferre non posse videtur. Enimvero in epistola Paulae et Eustochii idem ipse scribit: " quicumque in Gallia „ fuerit primus huc properat „ : sed cuiusque nomina omnino tacuit, neminem nobis tradidit, atque ne ansam quidem praebuit inquirendi. Quid? nihil de illa vestigii in Gallia christiana antiquioris aevi attingere valui, nequicquam etiam catalogos sanctarum vel reliquiarum, quae in ecclesiis aut in monasteriis Galliae et Germaniae venerabantur, perlegi.

Eram iam, quod Peregrina nomen habuisset, spe destitutus, quum in Historia Lausiaca, auctore Palladio episcopo Helenopoleos [1], in Silviam spectabilem foeminam incidi, quae statim mihi visa est ad nostram aptissime congruere. Refert Palladius, quum una cum sociis Hierosolymis ad Aegyptum pergeret, a se beatam Silviam virginem deductam esse, sororem Rufini, qui fuit ex praefectis. Accidit ut, cum Pelusium pervenissent, Iubinus diaconus, aestu vehementer correptus, aqua se frigida abluisset, postea quievisset. Quem ubi Silvia adspexit, mollitiem eius exprobravit, addens eum iuvenem id agere non decere propter multa, quae ultro sequuntur, damna. Confide, confide, inquit, ecce ago annum aetatis sexagesimum; praeter manuum mearum extremitates, et hoc propter communionem, nullum ex membris meis aquam tetigit, etiamsi me variae invaserint aegritudines: et quum a medicis cogerer uti balneo, non indulxi carni reddere debitum, non in lecto quiescens, non lecticam usquam gestata ingrediens. A Palladio doctissima appellatur, quod tanto doctrinam amore complexa sit, ut noctes uberi

[1] Hist. Laus. c. 143. nomen Silvaniae legitur, sed correcte in Paradiso Heraclidis (c. 42) illud Silviae.

oleo a se illuminatas mutaret in dies, omnia antiquorum, qui commentarios in sacras paginas ediderunt, scripta percurrens, Origenis et Gregorii et Stephani et Pierii et Basilii, et quorumdam aliorum praestanti virtute virorum. Non leviter neque temere haec percurrens, sed elaborate septies vel octies unumquemque librum perlegens, ut horum verborum gratia in altum erigeretur.

Illud quidem iter per Aegyptum Alexandriam versus ex ipso Palladio confectum esse scimus Theodosio magno bis consule, id est anno vulgaris erae 388[1]. Non est mihi dubium Melaniam seniorem ei comitem fuisse, fortasse etiam Hieronymum cum Paula. Ille postea ad Thebaiden monachos sanctos, quorum gesta commemorat, videndi gratia contendit. Dum Silvia Hierosolymis morabatur, Rufinum Aquileiensem, qui monasterio quinquaginta virginum a Melania constituto sanctissime praeerat, convenit, eique praecepit ut Recognitiones s. Clementis e graeco in latinum verteret: cuius mandato Rufinus, ut ipse fatetur, sero et post Silviae mortem absolvit[2].

In urbe constantinopolitana a Rufino fratre Silvia retenta se ad virtutem et religionem excolendam Olympiadi, foeminae pientissimae atque sanctissimae, ducem praebuit: quod tamen in Historia Lausiaca legere iuvat[3]. Rufinus ex Aquitania, patria sua, a Theodosio accitus circiter annum 384, multis amplissimisque muneribus postea exornatus maxima in oriente polluit auctoritate:

[1] Hist. Laus. c. 1. in vita Isidori. De Melania seniore, quae sororem Rufini fortasse concitabatur, vide Menar, *Vie de Jean Chrysostome, Paris* 1664, p. 206. Iter in Aegyptum Hieronymi cum Paula ann. 386 statuit Engelstoft (Hieronymus Stridonensis, Hauniae 1797 p. 62).

[2] Rufini, Praefatio in libros Reoscognitionum ad Gaudentium episcopum: « Nos tamen, quos et ingenii tenuitas minus proptos, et senecta iam reddit ac segues, opus quod olim venerandae memoriae virgo Sylvia iniunxerat, ut Clementem nostrae linguae redderem et tu deinde iure hereditario poscebas, licet multas post moras restituimus praedam. » Et in peroratione Comment. Origenis in Pauli epist: « Post hoc sane vocat nos opus, quod olim quidem iniunctum est a sancta Silvia, sed nunc a beato Gaudentio perurgetur: Clementis scilicet romani episcopi apostolorum comitis libri, ut in latinum vertantur. »

[3] Hist. l. c. 144.

consul excessit anno 392, deinde praefectus orientis: sed post mortem Theodosii, ita se arrogantia inflavit, ut de summa imperii capessenda eniteretur. Tum, ut notum est, interitu suo turpissimo poenas luit: uxor et filia in exilium pulsae Hierosolymas (a. 396) ut asilum elegerunt [1]. Silviam haec passam cum eis, et exulasse, terramque sanctam repetiisse estne dubitandum?

Circiter annum 400, quo Sulpicius Severus ad suam novam basilicam exornandam martyrum reliquias quaereret, Silvia ex oriente reversa in Italiam versari videtur. Nam Victori, per quem Sulpicius e Gallia ad Paulinum episcopum nolanum mittebat epistolas, multorum ex oriente martyrum reliquias spopondit [2]. Fortasse Brixiae manebat, ubi e vita excessit, rerumque suarum heredem Gaudentium eius civitatis episcopum instituit. Is, doctissimus et sanctissimus vir, quum Palestinam anno 387 peregrinaret, ad munus episcopale quamquam invitus vocatus et erectus est [3]: quamobrem loca sancta eum una cum Silvia lustrasse credere licet. Quam in ecclesia vocata *Concilium Sanctorum* prope civitatem Brixiam in ipso, quem etiam sibi elegit, sepulcro ipse condidit: dein inter sanctos Silvia recensita piisque honoribus usque adhuc prosequuta est [4].

His rebus ad veritatem expositis, statim exoritur et patet omnis conformatio Peregrinae nostrae cum s.ª Silvia peregrina. Illa e Gallia profecta, haec ex Aquitania, regione inter oceanum et mare italicum sita: illa sanctimonialis, haec beata et virgo: utraque invisendae terrae sanctae amore flagrantes: ad Aegyptum per Pelusium pergentes: eodem tempore peregrinantes: post pe-

[1] Tillemont Hist. des Emper. V, p. 428.

[2] S. Paulini epist. 31 (al. 11) ad Severum: « Sed quia nos non habuimus huius muneris copiam, et ille se spem eiusdem gratiae copiosam habere dixit a sancta Silvia, quae illi de multorum ex oriente martyrum reliquis spopondisset. »

[3] Quod ad vitam s. Gaudentii attinet, consule Galeardum in Praef. in sermones s. Gaudentii. (Collectio vet. patrum Brix. eccl. p. 187 et seqq.)

[4] De s. Silvia scripserunt praesertim Fontanini Historia litteraria Aquileiensis p. 395. Gradonigi Brixia sacra p. 51 e segg. Brunati, *Santi Bresciani* T. I p. 307 e segg. S. Silviae memoria recolitur die decimaquinta decembris.

regrinationem Constantinopoli immoratae et retentae: studium sacrorum librorum acriter colentes: omnes labores religionis causa sustinentes et despicientes: Peregrina corpore validissimo, nec minus Silvia soror Rufini, qui et viribus firmissimus habebatur [1]. Quid denique mirum si summa in provinciis orientalibus utrique auctoritas fuit? Omnia sicut e tenebris ad lucem deducuntur, comparatione confirmata: quamobrem nos, si Peregrinam, quae itinera sua scriptis consignavit, s. Silviam fuisse fateamur, si tempus peregrinationis inter annos 385-388 vel circiter statuamus, nemini in errore versari videbimur.

VI.

DE PETRI DIACONI LIBRO — DE LOCIS SANCTIS —

Studiis geographiae sacrae et liturgiae operam danti ea, quae uberius ex Peregrinatione hauriri possint, libenter relinquimus: si enim etiam hanc partem perquirere velimus, veremur ne simus certos huius praefationis fines praetergressuri. In notis, ut congruum videbatur, nonnulla posuimus, quibus praesertim antiqui temporis nota confirmaretur. Reliquum est ut de Petri Diaconi libro, quem inscripsit — De locis sanctis — deque editione nostra, cuius oportunitatem superius demonstravimus, paulisper agamus.

Is monachus fuit suo tempore doctus, litterisque vacavit et sacris et historicis: omnigena scripsit cum rythmica tum soluta oratione, ex quibus multa supersunt. Montis Casini bibliothecarius bonus, codices et instrumenta legit, disposuit, atque transumpsit, adeo ut de historia juribusque monasterii sui bene meritus haberetur. Variae quidem ad scribendum eum causae moverunt, cur locorum sanctorum descriptionem monachis proposuerit. Primum

[1] De Rufino praefecto Orientis vide Tillemont in Arcadio.

quod illis ad scripturam intelligendam atque pietatem colendam addictis earum rerum cognitio perutilis videbatur. Tum quis nescit omnes, quum virtus bellica christianum nomen cum gloria vindicasset, terramque sanctam recuperâsset, huius videndae studio maxime flagrasse? Demum quae monachi casinenses, illac iampridem peregrinare ausi, de suis itineribus nonnulla tradidissent, uno in corpore colligere vel eligere Petrus Diaconus cogitavit. Ipse enim de opere suo ita refert in prologo: " Itinerarium de locis sanctis [1] a nobis utcumque exaratum, et ex omnibus, ut ita dicam, libris collectum, vestrae paternitati destinare curavi. „

Verum nobis illud opus ad examen revocantibus liquido patet, Petrum Diaconum praecipue duobus ex fontibus hausisse, uno ex Bedae opusculo, De locis sanctis, altero ex Peregrinatione s. Silviae. Reliqua, quae aliis rivulis perpauca deduxit, minimi sunt facienda, mediique aevi sapiunt credulitatem. Bedae librum totum excripsit ad verbum, capitibus locisve opportunis addens et inserens ea, quae ad maiorem geographiae sacrae cognitionem apta sibi videbantur. Eiusmodi fontes in editione nostra distinguendos curavimus, ut illud perspici posset, quod ad Peregrinationem spectaret: caetera autem, quorum origo nobis vel ignota vel suspecta esset, sub anonymi titulo adiudicavimus.

Guibaldo abbati casinensi librum ipse cum epistola dicavit: cuius rei tempus constat. Nam Guibaldus a Lothario imperatore a. 1037 ad abbatis dignitatem evectus, ut monachorum discordes componeret animos, non ultra duos menses difficili munere functus est [2]. Quare ea spes, quam ut in prologo ostendit, Petrus fovebat, ut omnes Guibaldo abbate religioso viro, se ad meliorem frugem reducerent, eum fefellit. Liber ad nos non integer pervenit, cum fine careat, videlicet epilogo reliquarum partium Peregrinationis s. Silviae: quae etsi in arretino codice supersunt, tamen propter

[1] Hunc librum suum Petrus D. appellat in Chron. Casin. IV, c. 67. « Terrae repromissionis Itinerarium. »

[2] Gattula, Hist. Abb. Casin. II, p. 331.

folii abscissionem, in quo regio Huts et civitas Carnaim, patria Job, declarabantur, illa libri defectio non parvum esse videtur detrimentum. Extremus quidem quaternio jam saeculo decimoquinto decederat, ut constat ex codice neapolitano ad fidem autographi casinensis exemplato [1].

Ad evulgandum librum Petri Diaconi primus auctor fuit Aloysius Tosti abbas casinensis, scriptor laudatissimus, in Historia abbatiae Casinensis [2]; quem sequutus est Migne in sua Bibliotheca patrum [3]. Deinde Comes de Riant, de orientis latini studiis optime meritus, Petri opusculum diligentissime typis commisit [4]. Nos ad editionem perficiendam codicem casinensem studiose adhibuimus, quare nonnulla, quae comitem De Riant fugerunt, vidimus ipsi: contendimus etiam, atque lustravimus, sed incassum, si quid aliud reperire fas esset.

Perge nunc, lector benevole, ad perfruendum iis, quae mihi fortuna afferebat, ut christianae antiquitates tibi melius perspiciantur; fructus colligas uberiores, lucem adaugeas: mihi denique, si in aliquid pedem offendi, libenter ignoscas, velim.

[1] Cod. Casin. 361 ad f. 34. Codex Neap. regius D. 22 bis, quem exaravit Honoratus monacus saec. XV.

Tamen etiam antea liber P. D. non fuit ignotus. Anno 1685 Mabillon in biblioteca casinensi prologum excepit, quem Martene et Durand a. 1729 ediderunt (Ampliss. Coll. VI, p. 789). Ineunte saeculo decimo octavo Honoratus a s. Maria Carmelita, quum de Christi imagine dissereret, librum in s. P. D. adduxit in suas doctissimas Animadversiones in regulas Critices l. IV. diss. 8, art. 2.

[2] *Storia della Badia di Monte Cassino*, II, p. 121. Monte Cassino 1843.

[3] Migne, Patrologia T. CLXXIII p. 1115-1134.

[4] Petri Casinensis dyaconi liber de locis sanctis, seu descriptio terrae, et totius terrae repromissionis itinerarium. Neapoli, 1870.

S. HILARII

TRACTATVS DE MYSTERIIS ET HYMNI

S. HILARII

TRACTATVS DE MYSTERIIS ET HYMNI

Multiplex [1] . . . . . .

. . . . . .

| ipsas illas intelligamus in gestis. Illis autem satis est et ali- 1
quam inanis similitudinis speciem coaptasse; (*cu*)m [2] comparatio et implenda penitus de consequentibus sit, et ex solido de praesentibus expetenda. Omne autem opus, quod sacris voluminibus continetur, adventum domini nostri Iesu Christi, qui [3] missus a patre, a patre ex virgine per spiritum homo natus est, et dictis nuntiat [4] et factis exprimit, et confirmat exemplis: namque hic per omne constituti huius saeculi tempus, veris atque absolutis praefigurationibus, in patriarchis ecclesiam aut generat, aut abluit, aut sanctificat, aut elicit, aut discernit, aut redimit. Somno Adae, Noe diluvio, benedictione Melchisedech, Abrahae iustificatione, ortu Isahac, Iacob servitute; per omne denique tempus universa prophetia, sacramenti molitio, cognitioni adsumendae ab eo carnis indulta est. Et quia hoc libello visum est ostendere omnem [5] in singulis quibusque et viris et temporibus et rebus adventus sui, et praedicationis, et passionis, et resurrectionis, et nostrae congregationis, tamquam imaginem [6] in speculo praeferri; non trascursim memorabo aliqua, sed suis quibusque temporibus universa tractabo ab Adam, ex quo humani (*ge*)neris scientia permittitur, inchoaturus [7]: ut, quod in Domino (*con*)summatum est, iam ab initio mundi in plurimis rebus praefiguratum esse noscatur.

[1] Primo folio abscisso, hoc initium libri de Mysteriis legitur in ambobus catalogis m. s. bibliothecae Cassinensis a cl. v. A. Maio editis (*Spicilegium Rom.* T. V, p. 222), quorum alter tempore Pauli secundi exaratus est, alter anno 1534. Quomodo e Cassinensi in Arretinam bibliothecam codicem nostrum translatum esse colligatur, opportune in praefatione tractavi — [2] litt. *m* tantum cernitur — [3] Cod. quo — [4] nuntiet, gallice — [5] Desideratur nomen, ad quod *omnis* referri debet; sed prophetiam, vel similem vocem auctor scripsisse facile arguitur — [6] in imaginem — [7] inchoaturas.

Adam ipso nomine nativitatem Domini praeformat: nam secundum linguam hebraicam Adam, quod graece gepyrra [1], id latine terra flammea est: et scriptura humani corporis carnem terram solita est nuncupare [2]; quae per spiritum in Domino nata de virgine in novam et alienam a se speciem mutata, conformis effecta est gloriae spiritali secundum apostolum [3]: Secundus homo de coelo, et Adam coelestis, qui Adam terrestris imago est futuri. Tuto ergo auctore tanto, etiam Adae nomen non sine aliqua futuri meditatione suscipimus.

Sequitur, quod obsopito Adam ex latere eius atque osse Eva
2 | gignitur: quo evigilato, prophetia quoque talis consequitur [4]: " Hoc nunc os de ossibus meis, et caro de carne mea. haec vocabitur mulier, quia [5] de viro suo sumpta est, et eritis duo in carne una „. Hic nihil mihi [6] laboris est: apostolus enim cum huius ipsius prophetiae meminisset ita [7]: " Hoc mysterium magnum est, ego autem dico in Christo et in ecclesia „. Sed Adae os tantum detractum legimus: et quomodo dicitur caro de carne mea, referri quidem ad praesentium gestorum fidem res ita poterit, ut quia os, quod ex latere eius in muliebre corpus, per eum, qui omnia potest, Dominum, carne [8] vestitum est; quia os ex carne detractum est, et rursum carne indutum, in corpus extiterit, ut os ex osse, ita etiam caro sit ex carne. Sed Dominus in evangeliis, cum repudio dando a Iudaeis temptatus esset, per se potius quam per Adam, hoc ita dictum fuisse demonstrat, dicens [9]: " Non legistis, quia qui fecit ab initio masculum et foeminam fecit, et dixit: propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et erunt duo in carne una „. Hoc enim post id, quod dictum est, caro de carne mea, sequitur. Ergo [10] rem, quae in Adam praeficiebatur, consecuta est prophetia, cum enim haec Dominus, qui fecit masculum et foeminam, dixerit [11]: " Quod ex osse eius os, et ex carne ipsius caro „, locutus est per Adam, id quod totum in ipso Adam erat (*fact*)um [12]; nec detraxit

[1] Gepyrra, γῆ πυῤῥά. Non nova quidem interpretatio de nomine Adam; ad quam accedit Hieronymus, cuius verba Isidorus Hispalensis (*Orig.* L. VII, c. 6) refert: « Adam..... homo sive terrenus, sive terra rubea interpretatur » — [2] nuncupari — [3] conformis effecta est. gloriae spiritali est secundum apostolum·; — [4] Genes. II, v. 23 — [5] qua — [6] In cod. constanter scribitur: michi — [7] Paul. ad Ephes. V, 32 — [8] carnem — [9] Matth. c. XIX, 4 — [10] de carne mea. Sequitur ergo — [11] Paul. ad Ephes. V, 30 — [12] .....um.

fidem rebus, et praeformatum [1] ex se id *quod* in altero gerebatur, ostendit. Cum enim verbum fact(*um*) sit caro, et ecclesia membra sit Christi, quae ex latere eius et per aquam nata, et vivificata per sanguinem sit: rursumque caro, in quam verbum ante saecula manens, quod est filius Dei, natum sit, per sacramentum maneat in nobis; absolute docuit in Adam atque Evam suam et ecclesiae speciem contineri, quam mortis suae somno [2] *vivificatam*, sanctificatam esse carnis suae communione significet. Loquitur quoque idem per apostolum [3]: " Quoniam Adam non peccavit sed mulier peccans transgressione | fuit. Salvabitur autem propter filiorum 3
procreationem, si tamen in fidem manserint „. Ecclesia igitur ex publicanis et peccatoribus et gentibus est, solo suo secundo et celeste Adam non peccante: ipsa peccatrix, per generationem filiorum in fide manentium erit salva. Caeterum intelligi iam non convenit, quod mulier non sit a peccato suo redempta per Dominum; et superflue baptizabitur, si magis merito partus sit liberanda: sed ne per ipsam quidem filiorum generationem erit tuta, cum salva non sit, nisi, qui geniti sunt, fideles perstiterint; et nescio quae... cum sit alieno aut peccato ream effici aut merito innocentem [4]. Sed tuto spiritalibus spiritalia comparantes, ita sentiemus, maxime apostolum [5] gesta magni in Adam atque Evam mysterii referre ea [6] ad Christum atque ad ecclesiam praedicantem. Et haec quidem ita nos convenit ab eo spiritaliter dicta existimare; ut non minus ad praesentem doctrinam, et ad eorum, quos monebat, institutionem sermo referendus sit: namque multiplicem misericordiam Dei in ea, quae ad Corinthios prima est, in sanctificandis per coniugia fidelium infidelibus praedicans: hic quoque per procreationem credentium, tamen filiorum istiusmodi sanctificationem docuit largiendam, ut quemadmodum unius fidelis societas prodesset per coniugium infideli; ita fidelium procreatio infidelibus subveniret. Contuendum etiam illud est in Adae somno atque Evae corporatione occulti in Christo et in ecclesia mysterii sacramentum, in eo enim corporeae resurrectionis fides et ratio continetur. Namque in creatione mulieris non iam limus adprehen-

[1] praeformati — [2] somnum sanctificatam — [3] Paul. ad Timoth. II, 15 — [4] et nescio quae cum sit alieno aut peccato reum effici. aut merito innocentem (post *nescio quae* aliquid deest — [5] apostolo — [6] referres eam.

ditur, neque terra in formam describitur, neque Dei inspiratione in animam viventem materies in animis commovetur: sed ossi caro adcrescit, et carni perfectio corporis datur, et perfectionem corporis vigor spiritualis insequitur. Hunc resurrectionis ordinem per Ezechielem Deus locutus est docens, in his quae gerenda erant,
4 virtutis suae potestatem. Illic | enim omnia concurrunt: caro adest, spiritus advolat, Deo ex operibus suis ...i...a[1] deperit: ad efficientiam corporis sui, ea, quae non erant, adfuerunt. Est autem sacramentum hoc secundum apostolum[2]: " Ab sancto sum, a saeculis in Domino esse gentes coheredes: et corporales et compartícipes pollicitationis eius in Christo „: qui potens sit secundum eumdem apostolum conforme efficere corpus humilitatis nostrae corporis gloriae suae. Agnoscit ergo post somnum passionis suae, coelesti[3] Adam resurgente, ecclesia suum os, suam carnem non iam ex limo creatam, neque ex inspiratione vegetatam sed adcrescentem ossi, et in corpus ex corpore spiritu advolante perfectam. Qui enim in Christo sunt, secundum Christum resurgent, in quo iam universae carnis consummata est resurrectio: ipso illo in carne nostra cum Dei, in qua ante saecula genitus a patre est, virtute nascente. Et quia iudaeus et graecus, barbarus et schyta, servus et liber, masculus et foemina, omnes in Christo unum sunt, cum caro recognita ex carne sit, et ecclesia Christi corpus sit; et mysterium, quod in Adam atque Evam est, in Christum et in ecclesiam praedicatur: perfectum iam sub Adam atque Evam in exordio saeculi est, quidquid in consummationem temporum per Christum ecclesiae praeparatur.

Sequuntur primam Christi et ecclesiae praefigurationem gesta Cayn et Abel, duum in se populorum praeformantium diversitatem, ipsisque et nominibus et officiis mores et studia utriusque signantium. Cayn enim erat terram colens, et Abel oves pascens: ex fructibus autem suis unusquisque mysterii Deo munus exhibuit. Sed inspiciuntur munera Abel, Cayn autem non videntur; verum et dies indiscretus sacrificii et locus est: et Deo omnia contuenti quomodo aut hoc in conspectu est, aut illum extra conspectum? Sed per hanc significationem docetur Dei conspectum placitarum

[1] *suis* vix legitur, et de v. sequenti litterae incertissimae tantum supersunt — [2] Paul. ad Ephes. III, 6 — [3] coelestis.

rerum esse indicium: et cum ei omnia subiecta[1] sint, constitutionem tamen eius in ea adire, quae digna sunt. Verum nihil ante de moribus Cayn erat dictum, ut eius hostia displiceret; sed in his, quae consecuta sunt, Dei providentia intelligitur, sacrificia eius | non recipientis, qui grassaturus esset in fratrem. Futuri 5
enim apud Deum cognitio fides facti est: nam qui perempturus[2] erat, tamquam iam perimisset, Dei conspectione non dignus est. In cultura vero terrae significatio operum carnalium continetur; et omnis fructus carnis in vitiis est, quae abhorrentes Deo conspectum a se eius appellunt[3]: non respicitur ergo ad hostiam, quae ex operationibus terrae est, et solae in adipibus placent ovium primitiae, interni videlicet fructus, et ipsius conscientiae nostrae sacrificia delectant, quaeque in primitiis ovium placentia conspectum in se divinae voluntatis invitant. Cum enim primitiae Christus sit, primogenitus creaturae; primogenitus ex mortuis, princeps etiam sacerdotum, ut sit in omnibus primatum tenens; ipse etiam ovis, et secundum corpoream nativitatem unus ex ovibus: sacrificium Abel iam sub sacramento ecclesiae probabile est, quae deinceps esset ex primitiis ovium sancti corporis hostiam praebitura. Invidet itaque placito displicens, et contra Dei edictum, ut quiesceret, admonentis, probabilis ab improbabili interficitur: reus ad confessionis poenitentiam interrogatur, sed ad incrementum criminis negat, desperans resurrectionem, dissolvendum se morte existimat; sed gemens et tremens ad iudicium ultionis septemplicis reservatur, et ab omni terra sanguinem fratris excipiente maledicitur. Interpretatio autem nominis Cayn risus est[4]; Abel autem fletus. Numquid non ea, quae superiora sunt, consummantur in populis? Oblatio iunioris est placita: iudaeus invidet christiano, ad caedem eius frustra a prophetis monitus exarsit; veniam ne per ipsam quidem confessionem poenitentiae consectatur: sed audax Deo commissum scelus abnegat, desperans resurrectionis gloriam: subiectusque, capta Hierusalem, dominantium potestati, gemens et tremens ultionis iudicio[5] reservatur. Per ipsam interpretationem[6]

[1] Iterum superius scriptum est *ei* — [2] perematurus — [3] sc. depellunt — [4] Nominis Cain nova mihi videtur haec etymologia: contra enim Isidorus (*Orig.* VII, c. 6) scribit: « Idem (Cain) et lamentatio, eo quod pro interfecto Abel interfectus sit, et poenam sui sceleris dederit. Abel luctus interpretatur » — [5] iud.cii — [6] interpretationis.

nominum discretus a sanctis, Domino dicente[1]: " Veh[2] his, qui ridunt, quia flebunt; et beati lugentes, quia consolabuntur „. Atque
6 ut omnia Dominus doceret, praefigurationi | utriusque populi convenire dixit[3]: " Ideo ecce mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas; et ex illis occidetis in synagogis, et persequimini eos de civitate in civitatem, ut veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Zachariae filii Barrachiehel, quem occidistis inter templum et altare „. Abel itaque sanguis ab eo exquiritur, qui secundum Cayn praefigurationem iustos est persecutus: et maledictus a terra est, quae aperiens os suum sanguinem fratris excepit. In corpore enim Christi, in quo et apostoli et ecclesia est, omnium sanguinem universa eorum caro et posteritas suscepit, proclamantibus ipsis: " Sanguis eius super nos et super filios nostros „.

Rerum itaque in Cayn gestarum praefigurationem effectorum fides est consecuta, nec secerni possunt a praeformationis exemplo: in quos eiusdem reatus est ultio consecuta. Verum etiam in eo, quod dictum est: " Nonne si recte offeras, recte tu non dividas, peccasti? „ praeter rei praesentis effectum futuri quoque species continetur: Deo enim non placent nisi communia, et participata, et amicta. Promissa ergo Dei expectans populus per legem, etiamsi cum praeceptorum observantia recte Deo offerat, tamen, nisi hanc ipsam Dei legem, quae umbra est futurorum, cum gentium congregatione communicet, peccavit. Recte ergo non dividens, crimine detenebitur. Cayn namque, invidens fratri, non participaverat sibi conspectae a[4] Deo hostiae gratiam; et peccator, quia non recte divideret, constitutus est. Quo exemplo probatas Deo ex gentibus hostias nisi, qui sub lege sunt, dividant, etiam si lege recte utantur, in crimine sunt.

Sed ne in Lamech quidem extra futuri speciem res geruntur. Hic refertur fuisse duarum uxorum maritus, quarum nominibus etiam tertiae mulieris, ab eius tamen coniugio liberae, nomen adiectum est: atque etiam idem Lamech scribitur ista dixisse[5]: " Dixit autem Lamech mulieribus suis Adae et Sellae: Audite vocem meam mulieres Lamech, intuemini verba mea; quoniam virum occidi in vulnere mihi: et iuvenem in livore[6] meo. quo-

[1] Matth. V, 4. — [2] Ve' — [3] Matth. XXIII, 35 — [4] conspecta ea — [5] Genes. IV, 23 — [6] libore.

niam septies | vindicatum est de Cayn, de Lamech autem septua- 7
gies septies „. Et quis hic est illo iusto Abel iustior, cuius nunc [1]
moerore poenae [2] mors vincenda sit? Nomen perempti tacetur: vulnus non ad peremptum sed ad peremptorem refertur: et livor [3] caedentis potius docetur esse non caesi. Interfectio iuvenis uxoribus nuntiatur, cum trium mulierum nomina contineantur, tantum ad duas sermo est: prophetat impius, et ultra Cayn [4] poenam ultionem commissae a se caedis accumulat. Haec non transcursim audienda sunt, sed in his futurorum figuratio scrutanda est. Lamech principis sacerdotum habet speciem, qui consentientibus sibi iudaeis et gentibus, cruci Dominum subfigit [5]: nam ex atrio principis sacerdotis ad Herodem idem Dominus ductus est, plebe credentium a sceleris communione secreta, et idcirco duabus tamquam sociis sibi et uxoribus caedem iuvenis gloriatur: et quia nullus de eo sensus est poenae [6], in se et vulnera et livorem [7] iniuriae et caedis excepit, instinctu etiam prophetico est locutus. Nam et tum princeps sacerdotum nesciens prophetavit, sicut in evangeliis scriptum est [8]: " Unus autem ex his Cayphas nomine, cum esset summus sacerdos anni illius, dixit eis: vos nescitis nihil, nec percipitis, quia expedit nobis, ut unus homo moriatur pro plebe, et non universa gens pereat „. Hoc autem a se non dixit, sed cum esset sacerdos anni illius prophetavit. Concurrunt ergo omnia sibi, personis, rebus, effectu [9], et gestorum fides speciem complectitur futurorum. Numerus quoque in Cayn et Lamech poenae non sine aliqua significatione perscribitur. Cum enim secundum prophetas septemplex poena in iniustos sit constituta, Petrus, super quem ecclesiam tamquam vivo fundamento aedificabat, an peccanti in se secundum legem septies sit remissurus, interrogat [10]. Cui Dominus, ut septuagies septies indulgeret, respondit: per hanc significationem docens ipsam illam, qui crediturus essent, | passionis suae poenam remit- 8
tendam, cum in quantum vindicta [11] eius multiplicata esset, in tantum rursus venia abundaret.

Seth deinde nascitur, Seth in perempti Abel locum; semen in eo aliud excitatur. Eva ait dicens [12]: " Excitavit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain „. Interpretatio autem

[1] munc — [2] poena — [3] libor — [4] Caym — [5] subficit — [6] pene — [7] liborem — [8] Iohan. XII, 49 — [9] adfectu — [10] Matth. XVIII, 22 — [11] vindictam — [12] Genes. V, 25.

Seth nominis est fundamentum fidei[1]; et cum Abel iustus, et cum in locum iusti Seth genitus sit, reservata semper a Deo sanctorum generatio et per successiones renovata intelligitur, fidelibus in Petro fundamentis fidem ecclesiae sustentatura.

Quae erga Noe gesta sunt negari non possunt plena esse et virtutibus Dei et exemplis futurorum. Nam in quantum libet aut hebes[2] ingenium sit aut aversa a veri intelligentia voluntas: et tamen illic dicta gestaque sunt, quae etiam invitis sensum veritatis eliciant: atque, ut in singulis rerum effectibus virtus prophetica intelligatur, quid cui rei sit comparandum, breviter edendum est. Noe enim, quem ex virgine Dominus adsumpsit, hominem praefigurat: atque ut id ipsum ex scripturae ipsius verbis cognitum fiat, cuiusmodi de eo prophetia Lamech patris eius noscendum est[3]: " Et Lamech genuit filium, et vocavit nomen eius Noe, dicens: Hic requiescere faciet nos ab operibus nostris et a tristitiis manuum nostrarum, et a terra, cui maledixit Dominus Deus „. Et haec, ut arbitror, in eum Noe, de quo sermo est, ad perfectum convenire non possunt. Quam enim requiem humano generi adtulit, vel a quibus fecit operibus desisti? Quin etiam sub eo universitas hominum deletur: diluvium infunditur: terra conspectui eius eripitur[4], in gravioribus etiam postea vicibus[5] vivitur: et ubi requies Noe erit reddita, in eo autem, qui facturus sit
9 requiem, potestas est designata faciendi. | Porro autem nec naturae hominis convenit, nec scriptum legitur, nec re ipsa intelligitur Noe horum aliquid fecisse: sed plane, quae Noe erant propria, scriptura planissime edidit. Cum Deo probabilis est, cum iustus invenitur, cum arcam facere iubetur, cum in eam ingreditur, cum corvum emittit, cum columbam et recipit et remittit, cum egreditur ex arca, cum vineam plantavit, cum ex fructu eius ebrius nudatur, cum a Cham inridetur, cum a Sem et Iaphet contegitur, cum in unum maledictionem et in duos benedictionis ordinem modumque constituit; haec, ab eo ut sunt gesta, intelligenda sunt. Sed magnum in his futuri sacramentum continetur: ac de singulis suo loco tractabimus, tum cum oporteat sibi invicem res personasque conferre. Erit ergo huic Noe Dominus

[1] Isid. *Orig.* l. c. « Seth interpretatur resurrectio .... idem et positio » — [2] haebes — [3] Genes. V, 28. — [4] vi redditur — [5] virtus.

noster, qui verbum caro factum est, comparatus; qui et ait in evangeliis [1]: " Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam: tollite iugum meum super vos, et discite, quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suave est, et onus meum leve est „. Facit ergo requiescere, et animabus requiem impertit; et ob imminens iudicium in doctrinae et ecclesiae suae arcam felices et genitos et nuncupatos recondit; et spiritum sanctum tribuit, et moritur, et inridetur, et resurgit, et humano generi recte perperamve gestorum poenam sanctificationemve constituit. Et in eo quidem cum arcam ingredi aut egredi ex ea Noe iubetur, ratio ecclesiae sanctificationis est conferenda. Scriptum enim est [2]: " Introibis autem arcam tu, et filii tui, et uxor tua, et uxores filiorum tuorum „. | Et rursum [3]: " Dixit Dominus Deus ad 10
Noe dicens: Exi de arca tu, et uxor tua, et filii tui, et uxores filiorum tuorum „. Sexum arcam ingredientium invicem sociat, virorum ad virum, mulierum ad foeminam. Continentes scilicet ecclesiam introituros oportere [4] esse significans, sui postea unumquemque coniugii copiam recepturum, cum ter est emissa [5]: et sequens quidem emissio non incertum est quid praefiguret. Cum olivae [6] namque fructuosis foliis revertitur, non iam manu recipienda, sed revolans. Impletum autem istud est, cum accepto sancto spiritu septuaginta discipuli, ad praedicandum evangelium emissi, cum gloria subditorum sibi immundorum spirituum revertuntur: fructum misericordiae Dei, qui significatus in oliva est, sancto spiritu reportante, et quia discedentibus his postea a Domino nullam etiam requiem esset habiturus. Cum fructu tamen ad Noe columba revolavit: significans per id in reditu secundo, et subiectis demoniis sancti spiritus fructum, et discedentibus a Domino discipulis consistendi adhuc re [7] Tertia vero emissio atque evolatio habitationem eius, quae in credentes est, praeformat, spiritu sancto emisso in aeternum fidelium animis permanente. Iam vero de fructu plantatae vineae ebrietas pas-

[1] Matth. XI, v. 28-30 — [2] Genes. VII, 1 — [3] Genes. VII, 15 — [4] opportere. — [5] Supple: columba — [6] olibae — [7] Haec lacuna in codice periodusque suspensa bonum praebent argumentum, ut de scribentis fidelitate atque de exemplaris vetustate arbitremur.

sionis est species. Vineam enim ex Aegypto [1] transtulit et plantavit Dominus; et rursum [2]: " Vineam Domini Sabaoth domus Israel est „. Ex operibus enim translati et plantati populi sui passionis est causa: quam Noe ebrietatem si forte quis non pertinere [3] ad speciem dominicae mortis existimavit, de consequentibus arguetur, quamquam potatus in evangeliis calix mortem passionis ostendat. Tres autem filii cum essent, nudi nuditas patris ridetur ab uno, et rursum contegitur a duobus: sed cum duo unianimiter texerint: maledicto tertio, in duobus tamen operis unius diversa benedictio est. Sub his autem tribus filiis universitas hominum monstratur; id est sub lege viventium, et sub gratia iustificatorum, et gentium, ex quibus gentium mortem

(*Exciderunt duo folia et integer secundus quaternio, sive paginae viginti desunt*)

11 | proprietatem nominis huius scriptura interpretante. Et dixit Esau ad Iacob [4]: " Da mihi gustare de coctura hac, quia deficio „. Propter hoc appellatum est nomen eius Edom. Primitiva deinde sua ob cibum vendidit, dicens: " Ecce ego morior, et quo mihi hos primatus? „ In primatibus haec apud veteres erat dignitas, ut domum paternae hereditatis primogenitus optineret fratribus, qui deinceps essent ei subditi. Ergo cum in corpore viventibus primitivorum dignitas de vita sit, quam sub praefiguratione populi infidelis Esau ob carnalia desideria vendebat: non utique de praesenti primitivorum honore desperat, dicens: " Ecce ego morior, et quo mihi hos primatus ? „ Nam ante mortem primatus ille, qui hominum est, percipiebatur; sed quia formam populi in se gerens primitivus [5] ipse per legem. Prior enim hic populus in Dei hereditate fuerat electus, de spe resurrectionis et gloriae Dei excidit, desideriis corporis occupatus, suum honorem desperasse se proferat; quem primogenitum convenerat sperare post mortem. Desperante itaque Esau de primitiis suis caetera, et secundum facti fidem, et secundum praefigurationis virtutem geruntur. Isahac itaque, cum

[1] Subter hunc versiculum aliquot litterae antiquiores (saec. VIII?) tantum apparent: non tamen aliud praeter ATEM superest, vel legi potest — [2] Ps. LXXIX, 9 — [3] pertinere se — [4] Genes. XXV, 30-32. — [5] primitibus.

esset hebetus[1] oculis, secundum consuetudinem monente[2] Esau, ut sibi ex venatione cibum praeparet, et ante tempus suae mortis benedicatur ab eo: idque Rebecca cum comperisset, Iacob adhortatur, escas patris de hedis duobus citus praeparet, et Esau stola induatur. Manus eius, quia lenis sit, atque cervicem, illigatis sibi hedorum pellibus, mentiatur. Quibus gestis, benedictionem, quae Esau erat parata praeripuit: dehinc benedicitur talibus verbis[3]: " Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus; et det tibi Dominus a rore coeli desusum, et ab ubertate terrae abundantiam[4] frumenti et vini; et servient tibi gentes, et adorabunt te principes; et esto dominus fratris tui, et adorabunt te filii patris tui: et qui maledixerit te, maledictus erit, et qui benedixerit te, benedictus erit „. Cernitur[5] quidem res secundum praesentem in Esau et Iacob effectum, sed spiritualis praeformatio ordinem suum optinet. Vendiderat per desi|deria 12
corporis primatus suos senior futurorum honorem ob luxum praesentium desperans, eo usque contra iacturam praesentium iunior coemit. Numquid non corporaliter gestis spiritualiter gerenda succedunt? Qui infideles sunt, omne bonum in voluptate positum existimant; et anterior populus honorem resurrectionis per desideria carnis amisit: credentes autem renuntiant praesentibus gaudiis, omnem in *spe* futurorum[6] spem suam locantes; et ob eam, animo et corpore continentes, praeripiunt destinata seniorum. Nam Iacob Esau stola induitur, quae pro immortalitatis veste commemorari solet etiam in evangelio, ubi stolam primam iunior frater *induit*[7]. Et idem accepti patrimonii decoctor accepit: et quia ex peccatis esset in nitorem innocentiae transferendus, ideo Iacob in hedorum pellibus tegitur, re quidem ipsa fratris speciem imitaturus. Sed quia ex peccatore esset dignitatem occupatae benedictionis habiturus, in pellibus emortuarum pecudum formam peccatoris adsumit. Ipsa autem benedictionis ratio verborumque virtus nihil illic secundum gesta praesentia intelligendum esse

[1] habetus — [2] monete — [3] Genes. XXVII, 27. Sed vulgata habet: « Det tibi Deus de rore coeli et de pinguedine terrae abundantiam frumenti et vini. Et serviant tibi populi, et adorent te tribus, esto dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuae. Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus, et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur » — [4] habundantiam — [5] Ceritur — [6] in futurorum — [7] In codice hoc verbum vel simile desideratur.

demonstrat. Benedicitur enim Iacob, ut de rore coeli et ubertate terrae abundet[1] vino et tritico: contra vero famem periclitatus est, et de Aegypto frumenta emit. In servitutem ei gentes subiiciuntur: quin potius in ius Pharaonis ipse cum omni sua familia se dedit. Adorandus a principibus dicitur: sed magis dominante Laban servitutem multi temporis pertulit. Dominus fratri suo constituitur. An quid fratrem suum tamquam dominum adoravit? Ergo quia scriptura mendacio non periclitatur, licet in Iacob haec dicta sunt: in populum tamen quem praeformabat, et significantur, et aguntur[2]. Haec enim omnia secundum prophetica et evangelica promissa fidelibus reservantur, quippe mundum et angelos iudicaturis, et in regni coelestis consortium destinatis. Denique ipsud illud benedictionis exordium non res praesentes sed futuras perfectasque complectitur. Ait enim: " Ecce odor filii mei tamquam odor agri pleni, quem benedixit Deus „. Odor spiritus et praescien-
13 tia[3]; ager | plenus perfectio fructuum est: et ager, sicut evangelia docent, pro saeculo nuncupatur: benedictum autem saeculum, non utique quod dissolvetur et non erit, sed quod aeternum et perfectis fructibus plenum est, significari existimandum est. Ergo cum idem sit odor Iacob, qui agri pleni est; odor autem secundum naturam rerum praescientia sit spiritus, cum quid unaquaque re sit ex odoratione sentitur: hanc odorari se, id est praescire spiritu, benedictionem populi iunioris, Isahac significat; quae aeterni saeculi futura *est*[4], utroque illo, id est et saeculo et qui eo sit usurus, aeterno. Atque ut abundantem Dei misericordiam in praeformandis sub praesentibus futurorum effectibus cerneremus, omnia ita diligenter edita atque scripta sunt, ut in rem gestam et in spem futuram unus atque idem historiae ordo concurreret. Benedicturus enim Isahac Iacob pro Esau sollicitus est, ne quoquo genere fallatur: Esau enim se Iacob esse dicebat: caecus ergo Isahac cum esset, dicebat[5]: " Accede ad me, et pertentabo te, fili, si tu es filius meus Esau, aut non „. Et quamquam ille esset, et Esau esset stola indutus, et eius speciem pellium adsumptione mentitus, tamen non sine suspicione contractatus a caeco est. Ait enim cum

[1] habundet — [2] S. Hil. Enarr. in Psalmum CXXI: « Quod idipsum benedictio in Iacob ad spem fidelium praeformata significat ». Et in Tractatu in Psalm. CXVII, litt. 18, atque in aliis locis — [3] praesentia — [4] futuram — [5] Genes. XXVII, v. 21.

palparet eum: " Vox quidem vox Iacob, manus autem manus sunt Esau „. Ergo per haec sollicitus in Esau Isahac docetur affectus; quo postea revertente ex agro et venatu, et se patri tamquam primogenitum[1] ut benedicat in gentem, et praereptione comperta, Isahac non commovetur, quin potius in benedictionis ipsius confirmatione persistit, dicens[2]: " Si dominum illum feci tuum, et omnes fratres eius feci illi servos, frumento et vino confirmavi eum: tibi autem quid faciam, fili? „ Quin potius fletu et lacrymis, ut se benediceret, deprecanti ita ait: " Ecce ab ubertate terrae erit habitatio tua, et a rôre coeli desusum, et in gladio tuo vives, et fratri tuo servies: erit autem, cum deposueris iugum ipsius a collo tuo „. Unde igitur haec conversio voluntatis est? et cur dissentit a se hominis affectus, nisi quod sermo scripturae, et ad rerum efficientiam, et ad spei expectationem temperatur? Sollicitudinem interrogantis | de affectu patrio habuit, 14
demutationem[3] benedictionis de spirituali scientia abnegavit: illic rem naturae egit, hic praeformationis ordinem tenuit: illic pater in primogeniti sanctificatione sollicitus est, hic in benedictione populi iunioris prophetiae spiritu perseverat: et rem gestam historia loquitur, et spem praefiguratam suus ordo non deserit. Sed ne in eo quidem prophetica ratio cessavit, quin peccator et prior populus benedictionem populi iunioris posset sperare, si crederet[4]. Omnibus enim patet[5] aditus ad salutem; et iter vitae non molestiis suis, quae utique nullae sunt, sed arbitrii nostri iure difficile est. Ad consequendam enim Dei misericordiam humanae voluntatis est mora; quod ex hoc ipso, qui de Esau est, sermone fit cognitum. Benedici enim se poposcerat, sed pater spirituali[6] motu instinctus eum et saeculo relinquit, et gladio permisit, et servituti fratris addixit. Sed ne haec in perpetuum et sine reditu poenitentiae decreta existimarentur, benedictionem, quam postulabat, in id distulit; cum iugum eius dominaturi fratris deposuisset a collo suo. Sui ergo relinquitur iuris iugum deponere, quia unicuique ad fidem ius propriae voluntatis est liberum, benedictione

[1] Corruptio archetypi nempe propter vetustatem, non librarii, qui verba incerte natantia excerpebat: ita tamen emendandum est: « Et se offerens patri tamquam primogenitum » — [2] Genes. XXVII, 37-40 — [3] Hac voce nonnumquam utitur Hilarius. De Trinit. I, c. 9, et contra Constantium: « Quia mali meditatio est bonorum demutatio » — [4] Idem censet in Tractat. in Psalm. LIII — [5] pater — [6] spiritualis.

tum digno, cum se in fidei libertatem ex inreligiositatis servitute transtulerit.

De Moyse.

Editio rerum in Moyse gestarum coeptae quoque iam ab Adam praefigurationis ordinem tenuit; et dignum hoc misericordia Dei, ut omnium patriarcharum suorum gesta in aliquantum perfectionem eorum, quae in Domino nostro consumanda erant, imitarentur. Ea enim, quae in uno illo, et per unum illum, expleta sunt, per species et tempora et generationes praeformantur ex aliquo. Neque enim tot saeculorum imitatio consequi potuit id, quod in uno illo est veritatis: sed tamen nihil ita in singulis vel per singulos gestum est, ut non ea, quae deinceps, aut per eum, aut in eo, consummata sunt, prope ipsam gestorum praesentium imitationem loquerentur [1].

15 Moyses est enim natus eo tempore, quo omnes [2] masculini | sexus editos Pharao necari praeceperat: per lignum aquae [3] innatans dux populo reservatur. Odium et metus regis numquid non par atque idem tempore eo, quo Dominus noster secundum hominem est natus, exarsit in eundem [4] nobis hominem, quem adsumpsit per sacramentum ligni atque aquae, in se ac sibi ad coelestem gloriam deputatum et regem gentium constitutum [5]? Hunc deinde abluenda fluvio Pharaonis filia suscepit Moysen; soror cum adesset [6], nutricem ex Hebraeis [7] optulit: matrem deinde exhibuit, alendum illa suscepit; et Pharao filiae retulit, quem receptum adsumpsit in filium. Iunge personas, compara effectus [8], gesta intuere, invenies in praesentium imitatione consequentium veritatem. Sub Moysis [9] enim sorore lex usque ad sacramentum ligni atque aquae Christum prosecuta est. In Pharaonis vero filia gentium forma est, quae quamvis secundum historiae fidem parvolum viderit, tamen effectu ipso virtutem prophetiae retinuit. Lex enim ecclesiae, tamquam Pharaonis filiae, synagogam et nutriculam et matrem infantis exhibuit: ac sic spiritualis ordo conservatus in gestis est. Ab hac enim lege id

[1] loquentur — [2] omnis — [3] Verba *per lignum aquae* denuo rescripta, non ab auctore sed ab amanuensi sunt repetenda — [4] in eodem — [5] demutato, et regem gentium constituto — [6] aderet — [7] Ebraeis — [8] affectus — [9] Moysae.

docente nutriri secundum carnem Christum convenit; ab illa oportuit adoptari. Magnus factus Moyses detentos in servitium fratres requirit; deinde dominantem et iniuriam uni eorum inferentem Aegyptium prosternit: ac postea ab eo ipso, quem de Aegyptio erat ultus, arguitur. Nonne Christus consummatae et perfectae aetatis cum esset, populum suum, qui secundum carnem ei fratres sunt, visitat? Venit enim ad oves perditas domus Israel. Nonne dominantem eorum diabolum prostravit et vicit? Nemo enim vasa fortis diripiet, nisi prius fortem alligaverit [1]. Nonne ab his ipsis, quibus et de diabolo ultionem et de servitio libertatem reddebat, arguitur? Ita consummationem in Deo gratiae consequitur ea, quae in latore legis imitatio est. Rubus in conspectu Moysi conflagrat [2], nec tamen uritur: ecclesia videlicet ex peccatorum persecutionum et temptationum flammis succenditur, apostolo dicente [3]: " Angustiam sustinentes, inopiam tolerantes, sed non abrelinquimur: | deicimur, sed non perimus, semper passiones Iesu in cor- 16
pore circumferentes, ut vita Iesu Christi in corpore nostro manifestetur „. Ita omnium iniquitatum in nos incendia desaeviunt, nec amburunt. Ponitur deinde signum fidei virga in serpentem demutata, et abolita serpens rursus in virga [4]: sed demutatio ista ad fidei confirmationem est, non ad naturae conversionem. Et quia in virga potestas est regni, et in serpente diaboli nuncupatio est, credere in eo admonemur [5]: qui ex Deo saeculorum Beelzebul existimatus est, deinde ex Beelzebul dicto atque existimato, per resurrectionis demutationem Deus saeculorum, id quod erat, agnitus est. Cuius rei fidem sequens signum specie imitationis explevit, et spei satisfaciens et tempori: nam cum insinuata manus candorem nivis accepit, in sinu paterno quiescentes nos, id est Abrahae et Isaach et Iacob, illuminandos esse significat, natura corporis nostri in speciem gloriae atque honoris absorpta [6]. Cum autem sursum ad id, quod fuerat manus insinuata, revocetur; id quod in signo fuerat, praeformatum nondum esse docetur in tempore. Cum vero signo tertio aqua ex fluvio sumpta et in terram fusa sit sanguis, sacramenti ratio miscetur his, si quidem qui per aquam abluti in cognitionem sint sanguinis transituri.

[1] Matth. XII, 29 — [2] conflagrent — [3] Paul. ad Corinth. II, c. 4 v. 8 — [4] Antea scriptum erat *in vicem* — [5] ammonemur — [6] absorta.

Magnum est in his, quae sub patriarchis gesta sunt, ita rerum effectum [1] contineri, ut nihil sibi in his, quae postea in Domino expleta sunt, nec loco nec tempore nec ratione dissideat. In eo enim absolutae veritatis speciem imitatio praemissa consequitur; et tamquam imago eius [2] formae, cuius est aemula, comparatur. Gesta namque sibi ipsa quidem veritas est, secundum enim corporales efficientias agebatur; sed ipsa illa humanorum actuum veritas divinae erat operationis imitatio, et hoc ad veram spei nostrae ac fidei eruditionem ita fiebat, cum nihil in Dei rebus reperiretur, quod non tamquam praemeditatum antea in ipsis hominum et aetatibus et moribus et effectibus cerneretur. Quamquam enim omni superiore sermone ostensum sit usque ad egressum populi ex Aegypto, Moysi gesta cum gestis aut in Domino aut
17 per Dominum convenire: tamen etiam nunc | corporeae veritatis imitatio spiritualis adnectitur. In deserto autem populus sitiit aqua: amara est: murmur in ducem est, lignum ostenditur; tinctuque eius aqua dulcis efficitur, et in eo et iustificatio, et iudicia, et temptatio decernitur. Atque exinde ad duodecim fontes aquarum et septuaginta arbores palmarum venitur, et apud aquas considitur. Avertant licet mentes studia obnitentium, et infidelium error [3] inobedientiae obice sensum [4] intelligentiae suae obseret, non tamen tanti operis poterunt ignorare virtutem. Quid enim in se momenti lignum habebat, quamve efficaciam in re materies in animis continebat, ut amaritudinem aboleret [5], ut dulcedinem gigneret, ut naturam et inveheret, et auferret, dum id, quod triste abhorrebat [6], dulce sentitur? Et quia in eo, quod ad praesens gerebatur, efficientia est virtutis Dei, in aliud naturam ex altero transferentis: tamen non eguisse ligni officio existimandum est, ut demutationem aquis non nisi eius intercessione praestaret. Verum quia omnia Deus poterat, arcanum [7] operationis sic in aqua [8] reservatum, molitur in praesens. Populo namque in deserto moranti aqua inutilis erat [9]; et quidem populos pro aquis saepe nuncupatos reperimus, cum dicitur [10]: " Viderunt te aquae, Deus „ : et rur-

[1] effectarum — [2] cuius — [3] herror — [4] sensus — [5] avoleret — [6] aborrebat — [7] archanum — [8] Cod. habet: in apā. Incertum mihi, quid sibi velit — [9] Intellige: potui apta non erat — [10] Psalm. LXXVI. De simili interpretatione vide S. Hilarium in Enarr. in Psalm. LXVI, et Ps. XLVI, 2: « Omnes gentes plaudite manibus » vulg.

sum: " omnes aquae plaudite manibus „. Ergo sive ipsae per naturam suam aquae amarae; sive omnis populus in deserto manens et nondum promissionis terram adepturus, per murmurationem, quae ex contumacia gignitur, amarus, ligni sacramento dulcis efficitur, et non solum ab eo, quod erat, deficit, sed in melius et ultra usum necessarium mutatur: non enim solum amara esse desiit, sed dulcis est reddita. Lignum ergo et in praesentem aquam operatur, et in populis sub aquae nomine nuncupatis sacramento virtutis suae utile est. In hoc ligno apud eundem Moysen vita omnium pendet, cum dicit [1]: " Videbitis vitam vestram pendentem in conspectu oculorum vestrorum nocte et die, et timebitis, et non credetis vitae vestrae „. Hoc in panem apud Hieremiam inicitur ita [2]: " Super me cogitaverunt cogitationem dicentes: Venite iniciamus | lignum in pane eius „. Ex hac materie virga est, magos vin- 18
cens, Pharaonem terrens, Aegyptum conterens, mare dividens, pelagum refundens, fontem eliciens, amaritudinem adimens, dulcedinem tribuens: huius enim sacramento mitificantur infidelium corda, etiam ex peccatorum atque impietatis amaritudine in fidei dulcedinem transferuntur. Ac ne non omnia sacramenti latentis effectibus convenirent illis, quae tunc gerebantur, scriptura subiecit dicens: " Ibi posuit Deus iustificationes et iudicia, et ibi temptavit eum„. Ibi cum dicitur, non loci significatio est sed facti: non enim in illo loco ullas dispositiones iustificationum, et iudiciorum, et temptationum extare invenimus. Contra vero in ligni sacramento, in quo Dominus pependit, in quo secum omnia, quae humani generis saluti adversabantur, adfixit, et iustificatio est, quia iustus ex fide est, et iudicia sunt; quia qui non credit, iam iudicatus est: et temptatio est, quia per scandalum crucis salus est. Crux enim pereuntibus stultitia, virtus autem Dei in salutem credentibus. Itaque cum opprobrium crucis temptatio est fidei; cum infidelitas causa iudicii; cum fides iustificationis est merces; merito sacramento ligni aquam ex amaritudine in dulcedinem transferentis, et iustificatio, et iudicia, et temptatio continetur [4]: " Et venerunt in Elym, et erant ibi duodecim fontes aquarum et septuaginta arbores palmarum, consederunt autem ibi ad aquas„. Consumatur ergo in rebus gerendis dispositio spiritualis; nam

[1] Deuter. XXVIII, 66. Vulg. « Erit vita tua quasi pendens ante te: timebis nocte et die, et non credes vitae tuae ». — [2] Hierem. XI, 19 — [3] marito — [4] Exod. XV, 27.

ex Merrà loco amaritudinis in Elym, ubi XII fontes aquarum et septuaginta arbores palmarum erant, venitur. Post cognitionem sacramenti ligni, apostolicae, videlicet evangelicae, praedicationis sedes expetitur septuaginta praedicatoribus, pro tempore inumbrantibus, et duodecim apostolis in aeternum fluentibus: et quia septuaginta praedicatores evangelii electi infideles postea reperti sunt, cum tamen fructum fidei subiectis sibi immundis spiritibus retulissent [1]; apostolis in fidei praedicatione durantibus, facta licet septuaginta arborum cum duodecim fontibus mentione [2], secundum
19 tamen scripturae fidem in sola aquarum | sede requiescitur. Iam vero in coturnicum carnibus et mannae cibo quanta et quam absoluta re(*i*) spiritalis est ratio! Populus, qui ex Aegypto fuerat eductus, adversus duces murmurat: carnes, quibus in Aegypto uti solebat, desiderat. Grex coturnicum vespere advolans castra operit; eorum carnibus populus alitur; maturius manna invenitur; sine discrimine aetatis aut sexus unicuique idem mensurae modus decernitur, plus colligens non abundat [3], minus recondens non eget. In his, quae ultra necessitatem erant, vermis efferbuit [4]; et quod de manna in campo relicta erat reliquum, sole incalescente contabuit; die sexta duplum reconditur, nec corrumpitur, die septimo manna abstinetur: quibusdam tamen incassum expectantibus, ad postremum gomor singulis destinatum, vase aureo reconditum futurae generationi in testimonium reservatur. Atque etiam illud contuendum est, quod manna in temptationem datur, per eius observantiam unusquisque, an praeceptis Dei sit idoneus, probaturus; ita enim scriptum est [5] „: Dixit Dominus ad Moysen: Ecce ego pluam vobis panes de coelo, et exiet populus, et colliget unius diei in diem, ut temptem eos, si ingredietur in legem meam, an non „. De carnibus vero ita dictum est [6] :“ Ad vesperam editis carnem, et mane replemini pane „. Comestio ad vesperum in carne, expletio autem mane significatur in manna. Ergo quod ad carnem pertinet, illud est: quod populus in deserto manens desiderio consuetudinis detinetur; nam carnes Aegypti desiderat. Assumit ad vesperum: infidelis scilicet Deo, et promissorum eius patiens usque ad consummationem saeculi, quae si-

[1] rettulissent — [2] mentio — [3] habundat — [4] eeferbuit — [5] Exod. XVI, 4 — [6] Exod. XVI, 12.

gnificatur in vespere; desideriis mundi, qui sub Aegypto frequenter significaturus sit. Denique semel tantum hanc carnem populus habuit, ut data non ad usum necessarium sed ad praefigurationis significationem [1] doceretur. In manna vero temptatio est; temptatur enim per eam populus, utrum obediens Deo futurus sit, id est utrum verum de coelo panem digni erunt sumere, et temptationis [2] huius ratio de consequentibus expetenda est. Mane invenitur: hoc enim in resurrectione Domini coelestis cibi tempus est; idem universae aetati et sexui praestituitur secundum naturam humanam | contrarium; quando enim tantundem 20
cibi parvulo et viro necessarium est? Sed secundum spiritalem praeformationem aptissimum est, aequaliter universis coelesti cibo impertiendo, ad virtutem partibus indiscreto. Sacramentum enim scientibus loquitur, non abundante [3] quoquam de maioribus neque indigente de minimis, aequaliter scilicet omnibus, ex eo quod discretum partibus [4] sumebatur expletis. In his autem, quae collecta ultra mensuram sunt, et in mane exuberaverunt, quod et vermis et putor est, non ambiguum est, eos, qui ultra coeleste munus et doctrinam spiritalem non necessaria congregaverint, esse ea et sensu foetida, id est a veritate corrupta, et daemoniorum vitiis effervescentia [5], scilicet vermibus inquieta, sole incalescente, id est Christo, qui sol iustitiae est, ad iudicium revertente quo(*n*)dam solvenda de liquido. In duplici autem die sexto ob septimi requiem mannae congregationem spiritualium operum accumulata praeparatio admonetur; praeparatis bonis tum cum requies adsit usuris, denique quod de sexto die superest, non corrumpitur: cum quod extra mensuram caeterorum dierum sit, foeteat. Ita et his, quae extra [6] perscriptum sint, praesumpta corruptio est. In hoc igitur aetatis nostrae tempore operandum est, quo uti possimus in requie. Tempus autem huius sexti millesimi anni [7] est, quod sub numero diei sexti significatur, propheta dicente [8]: " Quia anni mille in conspectu Domini tamquam dies una „. Alitur ergo populus die septima, id est requie Domini, cibis pridie conditis; et his, quae praeparaverat, utitur, non reperturus septimo, quo ali possit, multis [9]

[1] significandam — [2] temptatione — [3] habundante — [4] patribus — [5] et fervescentia — [6] estra — [7] Haec opinio de mundi duratione usque ad sextum millenarium a S. Augustino in Psalm. 69, atque ab aliis, iuste refellitur — [8] Psalm. LXXXIX, 4, et Petrus in ep. II, 3, 8 — [9] multi.

in campo prodeuntibus, et nihil repperientibus: conclusis scilicet temporibus saeculorum, nihil aliud in usum requiei nostrae, quam quod antea nobis sit praeparatum et conditum, reperturi. Reservare[1] deinde vase aureo in progenies futuras gomor magnae in conspectu Domini iubemur. Sed ubi tandem hoc vas est, et ubi est manna, quae condita est post frequentes populi captivitates? post gemina excidia urbis et templi non extat, quod repositum est. Et quid ergo ignorasse Deum manna non posse in progeniem reservari existimamus? Non utique ipsa futura hominum consilia pro-
21 videns ignorasse credendum est: | sed per speciem aurei vasis et mannae in conspectu Dei conditae et in futuras generationes reservatae pretiosum eum et aeternum futurum, qui acceptam corpore suo tamquam vase aureo mannam reservaturus esset ostendit, Deo suscepti huius a nobis spiritalis cibi incontaminatam custodiam contuente.

Explicit liber primus. Incipit secundus.

De Osee.

Et in libro prophetarum ad Osee et aliis Domini sermo legitur[2]: " Vade, accipe tibi uxorem fornicationis, quam fornicando, fornicabitur terra a Domino „. Et post multa, quae media sunt plena maledictionis in eam, et post partum Israel, et non dilectae, et non populi mei, haec cognoscuntur[3]: " Disponam autem illis ea die in testamentum cum bestiis agri et volatilibus coeli et serpentibus terrae, et arcum et frameam et bellum conteram de terra; et conlocabo te in spe ipsi in aeternum. Sponsabo te mihi in iustitia et fide, et cognosces Dominum; et erit in illa die, dicit Dominus; exaudiam coelo, et coelum terrae, et terra exaudiet frumentum et vinum et oleum; eaque exaudiet Israel: et seminabo eam mihi super terram, et diligam non di-

[1] reservari — [2] Osee, c. I, v. 2. In vulgata legitur: « Vade, sume tibi uxorem fornicationum, et fac tibi filios fornicationum, quia fornicans fornicabitur terra a Domino » — [3] Osee, c. II v. 18, 19. Vulgata: « Et percutiam cum eis foedus in die illa, cum bestiis agri, et cum volucre coeli, et cum reptili terrae; et arcum, et gladium, et bellum conteram de terra; et dormire eos faciam fiducialiter. Et sponsabo te mihi in sempiternum; et sponsabo te mihi in iustitia et iudicio ».

lectam, et dicam non populo meo, populus meus tu „. Et quantum arbitror, nullus cunctandi locus est, quin praefiguratam hic ecclesiae praefigurationem intelligamus; cum quando apostolus id quod superius de huius fornicariae filiis ad Osee erat dictum, referendum esse ad fidelium populum existimaverit, dicens [1] ad Corinthios [2]: " Vocavit nos non tantum ex Iudaeis, sed etiam ex nationibus, sicut et in Osee dicit: Vocabo eum, qui non populus meus, populus meus, et non dilectam, dilectam. Et erit, in loco quocumque, vocabuntur non populus meus, illic vocabuntur filii Dei vivi „. Quod dicitur in propheta, corporaliter gerebatur, id est coniugium atque generatio. Nam ex fornicaria tres geniti sunt, quorum primus ex praecepto Dei, Israel nuncupatus est; sequens nata dilecta, dilecta est; tertius non populus meus vocitatus; id per Deum ad spiritalem intelligentiam et confirmatur, et geritur. Hanc enim fornicariam, iunctam prophetae, sponsam sibi Dominus in iustitia et fide effecit, testamentum disponens [3] cum bestiis agri, id est cum hominibus iure saeculi | immanibus; 22
et cum volatilibus coeli, scilicet sub inanitate mundi huius et vacuitate viventibus; et cum serpentibus terrae, nempe [4] venenato animo atque fallente in corpore constitutis; arcum in serpentibus, frameam in volatilibus, bellum contriturus in bestiis, ex genere telorum et animantium nominibus diversos humanae mentis instinctus [5] edomiturus in pace, bella bestiarum, iacula volantium, venena serpentium. Exaudiens quoque coelo coelum, et terrae terra: significat in eo, qui audiat, et qui audiatur, diversitatem in numero, id ipsum tamen quod audiat, audiaturque esse demonstrans; cum coelo coelum exaudiat, et terrae terra, significatio vero et divinitatis in coelo, et corporalitatis in terra. Et etiam Dominus ex Deo natus est, nos ex homine sumus conformes Dei futuri, idcirco coelo coelum et terrae audiet terra. In frumento vero et vino et oleo quod audiet, cum utique his insensibilibus sensus audientiae nullus sit, tamen sub sacramento unctionis et corporis se esse, qui in his sit auditurus, ostendit: per quae audiente Israel desponsatam sibi in spem fornicariam [6] seminavit, praetermisso eo, qui nuncupatus est Israel, ceteris ho-

[1] dicentis — [2] Chorintios. Non ad Corinthios sed ad Romanos, IX, v. 24-28 — [3] dispones — [4] namque — [5] instinctu se domiturus — [6] fornitriam.

norem demutationis impertiens; ut qui non populus suus erat, populus suus sit; et quae non erat, dilecta sit. Israel namque in Abraham patre suo electus ex gentibus est, ut in psalmis dictum est [1]: " Domus Iacob de populo barbaro „. Sed peccatis immorans, et vanis religionibus deditus, et promissis Dei infidelis, promissorum effectus capere non meruit, et prior [2] electus in Dei populum honorem electionis amisit. Tacetur enim de Israel prius ex fornicaria [3] edito, et omnis de postea genitis Dei sermo est, relectis antea et ab effectu ac proprietate summotis, natis ad non diligendum, genitis ad non utendum: sed primum fornicariam in sponsam Deo fidei et iustitiae electa: dehinc qui non dilecti, qui non sui, qui de fornicariae partu, hii videntis Dei filii nuncupantur: et hic quidem Dei sermo, quo propheta uxorem accipere fornicariam iubetur, idcirco commemorandus fuit, ut praeformari [4] omnia per gesta veteris testamenti, eaque in Domino et per Dominum gerenda esse docemur [5]. Hoc ipso quod prophetae fornicaria
23 | iungitur, intelligemus ostendi gentilem ignorantiam doctrinis prophetalibus copulari: ex quibus geniti, ex non dilectis dilecti, ex non populo populus, ex fornicaria matre Dei filii vocarentur.

Ex hoc quidem quamvis utile fuerit ad cognoscendam spiritualium gestorum significantiam tractasse, tamen, hac vel maxime causa, hic locus commemoratus a nobis est: ut quia futurus nobis de Raab sermo esset, per quem praeformari in ea ecclesiam ostenderemus. Tuto comparationem hanc ecclesiae atque meretricis pro sensus nostri intelligentia poneremus, cum quando fornicaria prophetae iuncta ad ecclesiae praeformationem in spem aeternam iustitiae et fidei et cognitionis Dei reperiretur esse desponsa. Et in eo quidem, quod sub Iesum [6] omnia in ea gesta sunt, maxima virtus est prophetiae. In Iesu enim cognominato absoluta futuri sacramenti ratio monstrata est: namque post multum Dei ad Moysen sermonem, cum dictum ei esset, ut omnia secundum speciem, quam in monte vidisset, faceret in terra, Iesum [7], qui Auses antea vocabatur, cognominavit ducem populo ad terram repromissionis pergenti futurum; ad speciem coelestis visionis iussus Moyses universa

[1] Psal. CXIII, 1 — [2] priore — [3] fonicario — [4] ut quia praeformari — [5] ea quae in Dominum et per Dominum gerenda esse docem; — [6] Scilicet Iosue: et in rubrica legitur « de ihunave » — [7] Hiesum.

disponere, illud duci futuro nomen adlegit [1] quod erat aeterno duci iam in coelestibus praeparatum. Nam ut hic synagogae princeps, ita ille ecclesiae; ut dux terrae optinendae, ita ille dux terrae hereditandae, de qua Dominus ait [2]: " Beati mites, quoniam ipsi hereditabunt terram „. Ut hic post Moysen, ita ille post legem: ut huic iterata cultello petrino circumcisio praecepta, ita a Domino, qui et verbum acutum est, penetrans usque ad divisionem animae, et lapis angularis, circumcisio cordis specialiter | innovata est: 24
ut hic dividens aquas, ita ille dividens populos, ait enim [3]: " Non veni pacem mittere, sed divisionem „. Ut hic lapides duodecim in testimonium aeternum, et ex profundo in terram reseravit [4], et ex terra in profundo collocavit: ita ille apostolicam doctrinam, et ex synagoga protulit, et in synagoga dereliquit: etiam nunc ea si vellet usura, cum ad testimonium aeternum in duodecim lapidibus apostolica doctrina et prolata esset ex lege, et tamen reperiretur in lege. Divisio autem ipsa aquarum, quam evidens quamque absoluta est, cum pars integra et plena constiterit; altera, arefacto alveo, in mare omnis effluxerit, media tamen arca Domini cum sacerdotibus constituta; aut significatione intelligitur partem populi a cursu peccatorum et mortis suae in adventu arcae Dei, id est adventu corporeo destituturam: caetera in mare, id est in damnatione saeculi huius, et consortium defluente. Sub hoc igitur Iesu, quae sub Arahab et in Raab gesta sunt, contuendum est. Exploratores namque duo ad speculandam terram, et in Hiericho civitatem ad meretricis huius domum deverterunt: hos suscepit, et occultat, rege ab ea deditionem postulante, reversos esse mentitur: deinde ipsis domi conditis, ait scire se, quod omnia urbis eius ipsis Dominus tradiderit: Deumque eorum esse suum in coelo et in terra deorsum, ut se atque omnem domum suam tempore capiendae [5] urbis conservent precatur. Exploratores pollicentur, quicquid intra domum eius repertum esset, incolume mansurum, sibi ipsi reum [6] futurum quisquis domo esset egressus: esse autem signum pendentis de fenestra vestis coccineae constituunt. Remque omnem Iesui nuntiant, ad urbem deinde acceditur: hanc sacerdotes cum arca Domini sex diebus circumeunt:

[1] adlecit — [2] Matth. V, 4 — [3] Matth. X, 34 — [4] reservavit — [5] capienda; sed capiendae corr. saec. XVI — [6] reum, adiectum saec. XV.

septimo autem die cum septies circumissent, tuba canente, civitatis muri conciderunt; et cunctis, qui in urbe erant, peremtis: sola Raab ab Iesu cum omni domo sua conservatur. Hic ordo rerum magnis spiritaliter gerundarum sacramentis connexus [1] est. Duos ab Iesu missos terrae exploratores meretrix domi suscepit: legem et prophetiam ad explorandam hominum fidem missam peccatrix ecclesia recepit; per quam confitetur Deus et in coelo susum et in terra deorsum. Post spiritalem eius generationem contestatam corpoream didicit enim in his: post hoc in terra visus est, | et inter homines conversatus est. Ab hiisdem etiam signum salutis accepit, in coccineo [2] colore scilicet pro dignitate regio et pro corporatione sanguineo, quod utrumque in passione convenit: cum et tali habitu Dominus indutus est, et sanguis ei fluxit e latere. Hoc coccinum et Manasses accepit in signo: hoc sanguine et consignatae in Aegypto domus tutae sunt, et testamenti liber conspersus est, et sanctificatus est populus. Quisquis autem de familia extra domum repertus esset, sibi reus est constitutus: docens eos, qui extra ecclesiam fuissent, causam sibi mortis futuros. Hierico autem in huius mundi speciem posita: sex diebus circuitur, septimo ad vocem tubae concidit, et domus Raab per Iesum integra reservatur. Sex milium enim annorum in sex diebus tempus ostenditur, quo circa mundum est oberratum, et quodam generationum circulo circumcursatum, eodem ipso mundo ad tubae vocem in tempore septimo millesimo resolvendo: sola ecclesia per exploratorum susceptionem, per Dei in corpore confessionem, per signum coccini per Iesum decretum, cum omni sua familia reservanda.

Admonuimus frequenter eam lectioni divinarum scripturarum *mentem* adhiberi oportere, quae sollicito examine et iudicio non inani posset discernere, quando rerum gestarum commemoratio vel simpliciter esset intelligenda vel typice; ne intemperanter atque imperite utroque; aut utrumque inutile audientibus redderemus, si aut simplicium cognitio inani praefigurationum assertione corrumperetur, aut virtus praefigurationum sub simplicium opinione ignoraretur. Quamquam ita se divinae scripturae sermo habeat, ut ut nihil illic inane, nihilque extra causam alicuius necessitatis, nihil non sub discrimine consectandae a [3] nobis intelligentiae editum

[1] conexus — [2] coccino — [3] consectanda ea.

repperiatur. Namque dum creatio orbis refertur, Deus cognoscitur in creando: dum Enoch translatus auditur posse effici, homo intelligitur aeternus: dum Loth perustis quinque civitatibus reservatur, coram Deo esse *curam* innocentium discimus: dum contra edictum Dei retro respiciens uxor eius in columnam salis demutatur, ad obedientiam constitutionum Dei exempli metu erudimur: dum peccata Amorreorum expectantur impleri, et misericordiam Dei et iustitiam cognoscimus; cum et | expectatione eius 26
desinendi nobis a peccatis tempus prorogatur[1], et in consummationem scelerum ultio dilata decernitur. Iam vero generationum ordo, Abrahae electio, patriarcharum procreatio, populi servitus, Aegyptiorum clades, maris divisio, mannae irroratio, legis constitutio, sacrificiorum distinctio, iudicum tempus, regnorum cognitio, populi in captivitate transmigratio, sanctorum visio, admonitio prophetarum, in quantum ad cognitionem necessaria est: in omnibus enim memoratis superius, Deus pater, et Deus filius, et ex Deo patre Deus filius, Deus et homo Iesus Christus agnoscitur. Dum in erectionem mundi Deus iubet, et Deus efficit: dum homo ad communis imaginis speciem formatur: dum pluit sulfur et ignem Dominus a Domino; nam nec sibi quis iuberet, ut faceret, nec communionem suam ad alterum solus ostenderet, nec sibi daret, atque a se unus acciperet: dum homo ab Abraham videtur, et Deus adoratur: dum in Iacob lucta ab homine Deus videtur: dum hominem tenens benedici se a Domino postulat: dum a Nabuchodonosor tribus tantum pueris in caminum missis, simili Dei filio quartus aspicitur: dum parit virgo Hemmanuel eum, qui nobiscum Deus est. Haec ergo ab omnibus significata, in uno illo cognita et expleta, reservari in memoriam scriptis et consignatis voluminibus convenit, ut posteritas successionum gestis temporis anterioris instructa, et praesentia etiam in praeteritis contemplaretur, et praeterita nunc quoque in praesentibus veneraretur. Namque eadem, cum perfecta veritatis cognitio est, si veritas ex ratione intelligatur (omnia enim ad cognitionem nostram, atque ad firmissimam iudicii nostri fidem scripta sunt), neque haec, quae ex sententia Dei in libros relata sunt, cognitione posteritatis eguerunt. Sed cognitione scripturarum posteritas indigebat, ut

[1] prorogetur.

veritatem disceret, ut doctrinam veritatis ex ratione susciperet, ut scientiam vitae tamquam ab ipsis cunis provecta sequeretur: scilicet non ambigeret Deum ex Deo, cum Dominus plueret a Domino non ignoraret Deum unum innascibilem[1]: cum Deus iuberet, non nesciret Deum unigenitum: cum Deus faceret, non ambigeret, quod duo unum sint: cum unum communis imaginis in homine conderetur exemplum, non negaret, quando Deus in hominem.....

(*Multa desunt, fortasse duo quaterniones seu paginae triginta duae interciderunt.*)

27 | patribus genitos. Et promptum est audire Paulum gloriantem, quod ex Hebraeis israelita sit de tribu Beniamin. Ergo cum Heliae officium sit convertere corda patrum ad filios, perfectae eius praedicationis mysterium reservatur, ut ad eam fidem patres convertat, quam iam eiusdem spiritus prophetiae confirmavit in filiis.

Finit Tractatus Mysteriorum S. Hilarii episcopi ab Adam usque ad Noe, deinde Abraae, Isaac, Iacob, Moysis, et Osee prophetae, et Heliae.

Incipiunt Hymni eiusdem.

Felix[2] propheta David,
primus organi
in carne Christum
hymnis[3] mundo nuntians.
Ante saecula qui manens,
semperque nate,
semper ut est Pater;
namque te sine quomodo
dici, ni[4] pater est,
quod pater sit potest?
Bis nobis genite Deus,
Christe, dum innato
nascens a Deo,
vel dum corporeum et Deum
mundo te genuit
Virgo puerpera.

[1] Haec vox *innascibilis* in operibus editis atque hymnis Hilarii reperitur — [2] Hunc hymnum de Christi divinitate subtilibus atque obscurioribus modis incedentem ad firmandam in populo catholicam fidem contra Arianos composuit Hilarius — [3] ymnis — [4] Cod. dicini. Construe: Namque quomodo sine te potest dici, quod pater sit, ni pater est?

Credens te populus rogat
hymnorum resonans
mitis ut audias
voces, quas tibi concinit
aetas omnigena
sancti[1] gregis tui.
Dum te fida rogat, sibi
clemens ut maneas,
plebs tui nominis
in te innascibilem Deum
orat; quod maneat
alter in altero.
Extra quam capere potest
mens humana,
manet filius in patre,
rursum quem penes sit pater,
dignus qui genitus est
filius in Deum.
Felix, qui potuit fide
res tantas penitus
credulus assequi,
ut incorporeo ex Deo
profectus fuerit
primogenitus Dei.
Grande loquimur, et Deum
verum, ut genitor,
quicquid inest sibi
aeternae decus gloriae,
totum in unigenitum
ediderit Deum.
Hinc unus merito bonus,
ipsum, quod Deus est,
extra invidiam sui
gigni vellet in alterum,
| transformans se, ut est, 28
vivam imaginem.
Istis vera patet Dei virtus,
cum dederit omnia,
non tamen ipsis,
quae dederit, caret,
cuncta, quae sua sunt,
cum dederit habens.
Kara progenies Dei,
cognatum cui sit
omne decus patris,
nil nato[2] eguit dari,
sed natum simul est,
quicquid erat Dei.
Lumen fulsit a lumine,
Deusque verus
subsistit ex Deo
vero, non aliud habens
ortus unigena,
quam innascibilis pater.
Mirum Dei hoc opus est,
aeternus ut
incorruptibilis Deus,
ortu qui careat, quia
sit sempiterna virtus,
quod est Deus.
Non natis quibus est in bonis,
ex se se placidus
gigneret Deum[3],
ac sic in unigena Deo
hoc ipsud ortu,
quod genitum est, caret.

[1] sanctae — [2] nate — [3] gigneret in Deum.

O felix duum unitas,
alter qui cum sit
mixtus in altero,
unum sic faciunt duo,
sit in duobus
cum quod est in altero.
Patri sed genitus paret
omnemque ad nutum
attonitus manet,
et scire non est arduum,
quid velit, se se
qui penes est pater.
Quanta est genitus in bona,
nam constitutus
in cunctorum exordia,
condens qui primum saecula
aeternum in motum
tempora protulit.
Rebus anterior Deus
cunctis, nam per eum
omnia facta sunt,
esset cum nihilum modo,
mundum corporeo
condidit in statu.
Sed nos littera non sinit,
per quam te genitum
concinimus Deum,
gesta, quae tua sunt, loqui,
carmenque natum,
iam qui eras Deus.
Te cunctis Dominum modis
coelorum regem
et coelestis gloriae,
ut cuncta per te condita
. . . . . .
. . . . . .

(*Sex folia ex quaternione avulsa sunt, id est paginae duodecim*)

29 Fefellit[1] saevam[2] Verbum
factum et caro:
Deique tota vivi
in corpus irruis.
Gaudes pendentem carnem[3]
ligno cum crucis,
tibique membra
fixa clavis vindicas,
Hanc sumis ante pompam
tanti proelii,
sputus, flagella,
ictus[4], cassa harundinis.
Ibat triumpho mors[5]
sumpta mortuo
Deus inferno vinci
regno nesciens.

[1] Cuiusdam neophytae hymnus de Christi resurrectione: initium desideratur — [2] Intellige mortem — [3] carnis — [4] hictus — [5] mortem. Fortasse: triumpho de morte sumpto a mortuo.

Kandens frigescit
stagnum, pallida [1]
rigensque nescit
Flegethon se fervere.
Lux orta vastae
noctis splendet, inferum
tremet, et alti custos
saevus Tartari.
Mors, te peremtam
sentis lege cum tua,
Deum cum cernis
subdedisse se [2] tibi.
Non est caducum
corpus istud, quod tenes,
nullumque in illo
ius habet corruptio.
Omnis te vincit carnis
nostrae infirmitas,
natura carnis
est connata cum Deo.
Per hanc in altos
scandam laeta cum meo
coelos resurgens
glorioso corpore.
Quantis fidelis
spebus Christum credidi,
in se qui natus me
per carnem suscepit.
Renata sum, o vitae
laetae exordia!
novis quae vivo
christiana legibus.
Sanctis perenne [3] munus
praestat hoc Dei,
conformi secum vivant
post haec corpore [4].
Terror recedat mortis
tandem, mors, tuae,
sinu me laetam
patriarcha suscipit.
Vivam locata post haec
in coelestibus,
Dei sedere carnem
certa a dextris.
Xriste, reversus coelos
victor in tuos,
memento carnis,
in qua natus es, meae.
Ymnos perennes [5]
| angelorum cum choris
in hoc resurgens laeta
psallam corpore.
Zelavit olim me
in morte Satanas,
regnantem cernat
tecum totis saeculis.

FINIT

[1] In cod. habetur: Kandens frigescit | stagnum pallida est iugis. Sed nullum sensum praebet; voces autem *est iugis* adiici videntur, nisi sint aliunde (nescio quo) ab antiquario petitae — [2] te — [3] perhenne — [4] corpora — [5] perhennes.

ITEM ALIUS

(*In Satanam*)

Adae cernis gloriam
et caduci corporis,
in coelesti rursum Adam
concinamus proelia,
per quae primum Satanas est
Adam victus in novo.
Hostis fallax saeculorum,
et dirae mortis artifex,
iam consiliis toto in orbe
viperinis consitis,
nihil ad salutem praestare
spei humanae existimat.
Gaudet aris, gaudet templis,
gaudet sanie victimae,
gaudet falsis, gaudet stupris,
gaudet belli sanguine,
gaudet coeli conditorem
ignorari *a* gentibus [1].
Inter tanta dum exultat
nostrae cladis funera,
Deo audit in excelsis
nuntiari gloriam,
et in terra pacem hominum
voluntatis optimae.
Terret coetus angelorum
laetus ista praedicans,
terret Christum terris natum
nuntians pastoribus,
magnum populis hinc futurum
desperatis gaudium.
Errat partes in diversas
tantis rebus anxius,
quaerit audax, et quis hic sit
tali dignus nuntio,
nihil ultra quam commune est
terris ortum contuens.
Cernit tamen his, quod Iohannes
in desertis praedicet,
aquis mersans in Iordanis,
cunctis poenitentiam,
quam sequatur confessorum
criminum remissio.
Inter turbas, quae frequenter
mergebantur, accipit
vocem e coelo praedicantem:
" meus est hic filius,
hunc audite, hic dilectus [2],
in quo mihi complacet „ [3].
Cernit hominem, cernit corpus,
quod Adae perlex erat,
nihil ultra vox honoris
afferebat desuper,
scit terrenam subiacere
mortis legi originem.
Ad temptandum multas artes
priscae fraudis [4] commovet,
quaerit audax tempus, quid sit
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

[1] ignorare gentibus — [2] hinc dilectus — [3] Matth. III, 17; Marc. I, 11; Luc. III, 22 — [4] fraudes.

S. SILVIAE

PEREGRINATIO AD LOCA SANCTA

ANN. 385-388

S. SILVIAE

PEREGRINATIO AD LOCA SANCTA

ANN. 385-388

(*Multa desunt*)

. . . . . .

| ostendebantur iuxta scripturas [1]. Interea ambulantes pervenimus 31
ad quemdam locum, ubi sex tamen montes illi, inter quos ibamus, aperiebant et faciebant vallem infinitam ingens [2] planissima et valde pulchram, et trans vallem apparebat mons sanctus Dei Syna. Hic autem locus, ubi se montes aperiebant, iunctus est cum eo loco, quo sunt memoriae concupiscentiae. In eo ergo loco cum venitur, ut tamen commonuerant deductores sancti illi, qui nobiscum erant, dicentes: Consuetudo est, ut fiat hic oratio ab his qui veniunt, quando de eo loco primitus videtur mons Dei. Sicut et nos fecimus. Habebat autem de eo loco ad montem Dei forsitan quattuor milia totum per valle illa, quam dixi ingens.

Vallis [3] autem ipsa ingens est valde, iacens subter latus montis Dei, quae habet forsitan (quantum potuimus videntes estimare, aut

[1] Ostendebantur iuxta scripturas loca, quae *Concupiscentiae sepulcra* sunt appellata (Num. XI, 34): erant ea sepulcra rupibus excisa secus iter a civitate Faran ad montem Sinai, in ipso transitu immo exitu montium, qui vallem Sinai claudunt ad favonium. Id ex orationis contextu clare deducitur, atque ex Petro Diacono, qui anteriora nunc abscissa folia vidit, et quicquid ad topographiam spectat fideliter exemplavit. Idem postea in reditu amplius his verbis explicatur: « Vidimus etiam in extrema iam valle ipsa memorias concupiscentiae... hoc est ubi exeuntes de valle illa grande, reingressi sumus via qua veneramus inter montes illos, quos superius dixeram. »

[2] Omnia ad fidem codicis. Quum non possimus arbitrari, monachum amanuensem eiusmodi errores commisisse, atque vernaculos modos inseruisse, scientes, quae fides quae diligentia in libris transcribendis apud Casinenses esset; existimanda plurimi nobis sunt omnia, quae suum codicis antiquissimi genus servent, et simplicitatem, qua pia foemina libellum exarabat, vel dictabat.

[3] Vallis hodie vocatur *el-Rahah*, sed alias describitur. Affirmant enim vallem exiguam esse non ingentem, nec quattuor sed fere duobus millibus passuum in latum, quae latitudo in longum duplicatur. At id intelligendum est (ex eorum

ipsi dicebant) in longo milia passos forsitan sedecim, in lato autem quattuor milia esse appellabant. Ipsam ergo vallem nos traversare habebamus, ut possimus montem ingredi. Haec est autem vallis ingens et planissima, in qua filii Israel commorati sunt his diebus, qua*ndo* [1] sanctus Moyses ascendit in montem Domini, et fuit ibi quadraginta diebus et quadraginta noctibus. Haec est autem vallis, in qua factus est vitulus: qui locus usque in hodie ostenditur: nam lapis grandis ibi fixus stat in ipso loco. Haec ergo vallis ipsa est, in cuius capite ille locus est, ubi sanctus Moyses, cum pasceret pecora soceri sui, iterum locutus est ei Deus de rubo in igne [2]. Et quoniam nobis ita erat iter, ut prius montem Dei ascenderemus, qui hinc paret, unde veniebamus melior ascensus erat: et illuc denuo ad illud caput vallis descenderemus, id est ubi rubus erat, quia melior descensus montis Dei erat [3]. Inde itaque et hoc placuit, ut visis omnibus, quae desiderabamus, descendentes a monte Dei, ubi est rubus veniremus: et inde totum per mediam vallem ipsam, qua iacet in longo, rediremus ad iter cum hominibus Dei, qui nobis singula loca, quae scripta sunt, per ipsam vallem ostendebant, sicut et factum est. Nobis ergo euntibus ab eo loco, ubi venientes a Faran feceramus orationem, iter sic fuit, ut per medium transversaremus caput ipsius vallis, et sic plecaremus nos ad montem Dei. Mons autem ipse per giro quidem unus esse videtur; iter autem quod ingrederis, plures sunt, sed totum mons Dei appellatur, specialis autem ille, in

sermone, qui eam comitabantur) de tota valle sinaitica duabus contiguis coniuncta vallibus (*Ouadi-el-Ledja, et Ouadi-el-Deir*): nisi malimus eam vallem pulcherrimam hic memorari, quae civitatem Faran et vallem *el-Rahah* interiacet, cui nomen est *Ouadi-Feiran*, quaeque in longitudinem usque ad kilom. viginti sive ad millia romana sexdecim circiter produci perhibetur. Quum profecto ambas eadem die Peregrina traiecisset, possimus ne vereri, ne quaedam animum eius subisset confusio, utrum in scribendo alteram pro altera valle commutarit, an ex duabus fecerit unam?

[1] *Qua* pro *quando* passim scribitur in codice.

[2] Rubus ardens, quem vidit Moises, eo in loco est, ubi monasterium sanctae Catharinae dicatum etiam nunc a peregrinis celebratur. Quum ille in capite vallis notetur, intelligendus nobis est in extrema valle *el-Rahah* positus ad latus montis Horeb.

[3] Ad assequendum montis Moisis (*Diebel-Mousa*) verticem peregrinantes e monasterio s. Catharinae proficisci solent: hoc iter etiam Antoninus martyr a. 570 (*De loc. sanct.* cap. XXXVIII) suscepit, quod a nostra satius eligitur in reditu. Quae autem altera pars sit, qua tunc melior ascensus erat, non bene declaratur.

cuius summitate est hic locus, ubi descendit maiestas Dei, sicut scriptum est, in medio illorum | omnium est. Et cum hi omnes, 32
qui per girum sunt, tam excelsi sunt, quam numquam me puto vidisse: tamen ipse ille medianus, in quo descendit maiestas Dei, tanto altior est omnibus illis, ut cum subissemus in illo, prorsus toti illi montes, quos excelsos videramus, ita infra nos essent, ac si colliculi permodici essent. Illud sane satis admirabile est, et sine Dei gratia puto illud non esse, ut cum omnibus altior sit ille medianus, qui specialis Syna dicitur, id est in quo descendit maiestas Domini, tamen videri non possit, nisi ad propriam radicem illius veneris, ante tamen quam eum subeas[1]: nam posteaquam completo desiderio descenderis inde, et de contra illum vides, quod, antequam subeas, facere non potes. Hoc autem, antequam perveniremus ad montem Dei, iam referentibus fratribus cognoveram: et postquam ibi perveni, ita esse manifeste cognovi.

Nos ergo sabbato sera[2] ingressi sumus montem, et pervenientes ad monasteria quaedam, susceperunt nos ibi satis humane monachi, qui ibi commorabantur[3], praebentes nobis omnem humanitatem. Nam et ecclesia ibi est cum presbitero: ibi ergo mansimus

[1] Haec montis Sinai descriptio nos primo aditu putare inducit montem esse s. Catharinae, qui ceteros omnes jugi sinaitici praeeminet altior. Verum quum singula, quae leguntur quaeque sequuntur, animadvertamus, haec praesertim ad specialem eius montis conformationem carpere licet: « solus petrinus sit, ita ut nec fruticem habeat — in medio illorum omnium est — videri non possit nisi ad propriam radicem illius veneris — super valle tota — ». Quae omnia, cum ab antiquis tum ab hodiernis peregrinis descripta atque confirmata, ad montem Moisis maxime spectare videntur. Nec illud nos fugiat, locum rubi ardentis in montis Dei descensu positum esse, ubi Justinianus monasterium construi jussit: quod traditionem cultumque vetustiorem ipsius sacri montis servasse pro certo apud fere omnes habetur. Attamen rem tantam sine speciali locorum notitia, ad quam assequendam mihi libri, quos consulto, non sufficiunt, judicare non audeo: ambigit quidem animus, utrum mons s. Catharinae, ut videtur, qui est ex omnibus altissimus, an mons Moisis sacra munitus traditione sit deligendus.

[2] Tempus huius ascensionis incidit paulo ante kal. Januarias. Nam Peregrina festum Epiphaniae in Arabia Aegypti civitate celebravit, ad quam ut e monte Sinai perveniret, ei saltem duodecim dierum spatium consumpsisse oportuit.

[3] Ni fallor, haec monasteria, sive λαύραι, sunt ea, quae paulo post Saraceni in regionem illam incursantes deturbaverunt, ubique sanctos monachos crudeliter interfecerunt, cuius rei testis atque scriptor fidelis nobis superest Ammonius monachus *(Relatio de SS. patribus Sinaitis)*. Hodie locus tantum ostenditur exiguis parietinis infectus, vocaturque *Deïr-el-Arbaïn* sive coenobium quadragenorum, ad memoriam quadraginta martyrum monachorum.

in ea nocte, et inde maturius die dominica cum ipso presbitero et monachis, qui ibi commorabantur, cepimus ascendere montes singulos, qui montes cum summo labore ascenduntur: quoniam non eos subis lente et lente per girum, ut dicimus in cocleas, sed totum ad directum subis ac si per parietem; et ad directum descendi necesse est singulos ipsos montes [1], donec pervenias ad radicem propriam illius mediani, quae est specialis Syna. Hac sic ergo, iubente Christo Deo nostro, adiuta orationibus sanctorum, qui comitabantur, et sic cum grandi labore, quia pedibus me ascendere necesse erat (quia prorsus nec in sella ascendi poterat), tamen ipse labor non sentiebatur. Ex ea parte autem non sentiebatur labor, quia desiderium, quod habebam, iubente Deo, videbam compleri. Hora ergo quarta [2] pervenimus in summitatem illam montis Dei sancti Syna, ubi data est lex, in eo id est loco, ubi descendit maiestas Domini in ea die, qua mons fumigabat. In eo ergo loco est nunc ecclesia non grandis [3], quoniam et ipse locus, id est summitas montis, non satis grandis est; quae tamen ecclesia habet de se gratiam grandem. Cum ergo, iubente Deo, persubissemus in ipsa summitate, et pervenissemus ad hostium
33 ipsius ecclesiae, ecce et occurrit presbiter veniens | de monasterio suo, qui ipsi ecclesiae deputabatur, senex integer et monachus a prima vita, et ut hic dicunt ascitis, et quod plura qualis dignus est esse in eo loco. Occurrerunt etiam et alii presbiteri, nec non etiam et omnes monachi, qui ibi commorabantur iuxta montem illum, id est qui tamen aut aetate aut imbecillitate non fuere impediti. Verum autem in ipsa summitate montis illius mediani nullus commanet: nihil enim est ibi aliud, nisi sola ecclesia et

[1] Omnes consentiunt sibi manibus pedibusque contendendum, ut montis Moisis rupes asperrimas scopulosque graniticos scandere valeant.

[2] Hora quarta diei ab ortu solis, mense decembri ad gradum 28, congruit undecimae nostrae ante meridiem.

[3] Ecclesiam in summo montis Sinai locatam Antoninus martyr memorat l. c. « Inde ascendimus millia continuo tria in summo montis cacumen, in quo est ora-« torium modicum habens pedes sex (= m. 1,78) in longitudine, similiter et in « latitudine. In quo nullus manere praesumitur ». At si ecclesia ita parva instar sacelli fuisset, apta non esset locutio: « non satis grandis est, quae tamen ec-« clesia habet de se gratiam grandem ». Quare propter crebras incursiones Saracenorum eam destructam fuisse, deinde ipso in loco monachos aediculam, quemadmodum Antoninus vidit, restituendam curavisse arbitramur.

spelunca, ubi fuit sanctus Moyses. Lecto ergo ipso loco omnia de libro Moysi, et facta oratione ordine suo, hac sic communicantibus nobis [1], iam ut exirem de ecclesia, dederunt nobis presbiteri loci ipsius eulogias, id est de pomis, quae in ipso monte nascuntur. Nam cum ipse mons sanctus Syna solus petrinus sit [2], ita ut nec fruticem habeat, tamen deorsum prope radicem montium ipsorum, id est seu circa illius, qui medianus est, seu circa illorum, qui per giro sunt, modica nerrola [3] est: statim sancti monachi pro diligentia sua arbusculas ponunt, et pomariola instituunt, vel orationes [4], et iuxta sibi monasteria, quasi ex ipsius montis terra, aliquos fructus capiant; quos tamen manibus suis elaborasse videantur. Hac sic ergo postea quam communicaveramus, et dederant nobis eulogias sancti illi, et egressi sumus foras hostium ecclesiae, cepi eos rogare, ut ostenderent nobis singula loca. Tunc statim illi sancti dignati sunt singula ostendere. Nam ostenderunt nobis speluncam illam, ubi fuit sanctus Moyses, cum iterato ascendisset in montem Dei [5], ut acciperet denuo tabulas, posteaquam priores illas fregerat peccante populo, et cetera loca, quaecumque desiderabamus, vel quae ipsi melius noverant, dignati sunt ostendere nobis. Illud autem vos volo scire, dominae venerabiles sorores, qui de eo loco, ubi stabamus, id est in giro parietes ecclesiae, id est de summitate montis ipsius mediani, ita infra nos videbantur esse illi montes, quos primitus vix ascenderamus, iusta istum medianum, in quo stabamus, ac si essent illi colliculi. Cum tamen ita infiniti essent, ut non me putarem aliquando altiores vidisse, nisi quod hic medianus eos nimium praecedebat. Egyptum autem et Palestinam et mare rubrum et mare illut parthenicum, quod mittit Alexandriam, nec non et fines Saracenorum infinitos ita subter nos inde videbamus, ut credi

[1] Sane quidem de comunione eucharistica agitur.

[2] Antoninus martyr l. c.: « Mons Sina petrosus est, raro habens terram, et in « circuitu eius cellulae multae servorum Dei: similiter et in Horeb ».

[3] Nerrola, rivulus, ex voce arabica *nahr*, sive ex graeca νάω, Νηρεύς; atque in *Gloss.* Ducangii v. *Nero* eadem significatione reperies.

[4] Intellige aediculas inter pomaria a monachis confectas, quibus etiam ethnici utebantur, quasque appellabant orationes.

[5] Exod. cap. XXXIII, v. 20-23.

vix possit[1]: quae tamen singula nobis illi sancti demonstrabant.
34 Completo ergo omni desiderio, quo festinaveramus | ascendere, cepimus iam et descendere ab ipsa summitate montis Dei, in qua ascenderamus, in alio monte[2], qui ei proloncatus est, qui locus appellatur in Choreb: ibi enim est ecclesia. Nam hic est locus Choreb, ubi fuit sanctus Helias propheta, qua*ndo* fugit a facie Achab regis, ubi ei locutus est Deus dicens: " quid tu hic Helias? „ sicut scriptum est in libris regnorum[3]. Nam et spelunca, ubi latuit sanctus Helias, in hodie ibi ostenditur ante hostium ecclesiae, quae ibi est[4]: ostenditur etiam ibi altarium lapideum, quem posuit ipse sanctus Helias ad offerendum Deo, sicut et illi sancti singula nobis ostendere dignabantur. Fecimus ergo et ibi oblationem et orationem impensissimam, et lectus est ipse locus de libro regnorum: id enim nobis vel maxime ea desideraveramus semper, ut ubicumque venissemus, semper ipse locus de libro legeretur. Facta ergo et ibi oblatione, accessimus denuo ad alium locum, non longe inde ostendentibus presbiteris vel monachis, id est ad eum locum, ubi steterat sanctus Aaron cum septuaginta senioribus, cum sanctus Moyses acciperet a Domino legem ad filios Israel[5]. In eo ergo loco, licet et tectum non sit, tamen petra ingens est per girum habens planitiem supra se, in qua stetisse dicuntur ipsi sancti:

[1] Bene addidit: « inde videbamus, ut credi vix possit ». Coelo tamen sereno e summo monte s. Catharinae mare rubrum et Aegyptus fortasse et mare mediterraneum prospiciuntur, si fidem ipsis monachis in loco degentibus adhibeamus (Sigoli, *Viaggio al monte Sinai*, Illust. V, p. 176, Firenze 1829); qua de re etiam consuli potest Robinson, *Biblical Researches in Palestine* vol. I p. 110 (ed. 1856): et Guerin, *La terre sainte*, vol. II, p. 354. Mare autem parthenicum, (Παρθένικον πέλαγος) sive Isiacum, quod inter Pelusium et Alexandriam porrigitur, Gregorius Nazian. Orat. XIX, et Ammianus Marcel. XIV, 8, XXII, 15 nominant.

[2] Haec verba notanda sunt: « in alio monte, qui ei proloncatus est ». Nam intelligi potest, sive montem ipsum duas pinnas, ut vere mons Moisis illas fert, quae etiam Sinai et Horeb vocantur, habere: sive de transitu, ut est probabilius, e monte s. Catharinae in alium, in Horeb, quum ambo parvo inter se intervallo sejungantur, ut in perpetuo jugo prolongari videantur.

[3] Regnorum, Βασιλείων Septuaginta, l. III, c. 19 v. 9.

[4] Nunc parva ecclesia ss. Heliae et Heliseo ibi dicata manet, et spelunca visitur: quam Antoninus m. commemorat l. c. « Et ascendimus in monte continuo milia tria, et venimus ad speluncam, ubi absconditus fuit Helias propheta, quando fugit ante Jezabel. Ante ipsam speluncam surgit fons, qui irrigat montem ». Ex his verbis ecclesia, de qua hic agitur, tempore Antonini destructa esse videtur.

[5] Exod. c. XXIV, v. 9–14. Locus atque traditio jamdiu oblivione obruta sunt.

nam et in medio ibi quasi altarium de lapidibus factum habet. Lectus est ergo et ibi ipse locus de libro Moysi, et dictus unus psalmus aptus loco: hac sic facta oratione descendimus inde.

Ecce et cepit iam esse hora forsitan octava, et adhuc nobis superabant milia tria [1], ut perexiremus montes ipsos, quos ingressi fueramus pridie sera; sed non ipsa parte exire habebamus, qua [2] intraveramus, sicut superius dixi, quia necesse nos erat et loca omnia sancta ambulare et monasteria, quaecumque erant ibi, videre, et sic aut vallis illius, quam superius dixi caput exire, id est huius vallis, quae subiacet monti [3] Dei. Propterea autem ad caput ipsius vallis exire nos necesse erat, quoniam ibi erant monasteria plurima sanctorum hominum, et ecclesia in eo loco, ubi est rubus: qui rubus usque in hodie viret, et mittet virgultas. Ac sic ergo, perdescenso monte Dei [4], pervenimus ad rubum, hora forsitan decima. Hic autem rubus, quem superius dixi, de quo locutus est Dominus Moysi in igne, qui est in loco, ubi monasteria sunt plurima, et ecclesia in capite vallis ipsius. Ante ipsam autem ecclesiam hortus est gratissimus, ha|bens aquam optimam abundantem, in quo 35
horto ipse rubus est [5]. Locus etiam ostenditur ibi iuxta, ubi stetit Moyses, quando ei dixit Deus [6]: " solve corrigiam calceamenti tui „ et cetera. Et in eo ergo loco cum pervenissemus, hora decima erat iam, et ideo quia iam sera erat, oblationem facere non potuimus. Sed facta est oratio in ecclesia, nec non etiam et in horto ad rubum: lectus est etiam locus ipse de libro Moysi iuxta consuetudinem: et sic quia sera erat gustavimus nobis locum in horto ante rubum cum sanctis ipsis; ac sic fecimus ibi mansionem. Et alia die maturius vigilantes, rogavimus presbiteros, ut et ibi fieret oblatio, sicut et facta est.

[1] Tria millia passuum e monasterio (hodie s. Catharinae) ad speluncam Heliae computantur, ut ex Antonino percipimus, et peregrini testantur omnes.

[2] Cod. *quia*. — [3] Cod. *montis*.

[4] Mons Dei est etiam Horeb, qui una cum Sinai idem sacrum et solemne, secundum s. Scripturam et christianam traditionem, constituit.

[5] Locus, ubi rubus fuisse fertur, nunc extat in sanctiore parte ecclesiae, in abside sub choro monachorum: subeuntesque, jussu Dei revocato, discalceati ingrediuntur. Hoc sacellum opere argenteo caelato exornatum imperatrici Helenae tribuitur: sed perperam, virere enim in horto ante ecclesiam ipsum rubum audimus.

[6] Exod. c. III, 5. Septuaginta: λῦσαι τὸ ὑπόδημα ἐκ τῶν ποδῶν σου. Et vulgata idem: « solve calceamentum de pedibus tuis ».

Et quoniam nobis iter sic erat, ut per valle illa media, qua tenditur per longum iremus, id est illa valle, quam superius dixi, ubi sederant filii Israel, dum Moyses ascenderet in montem Dei, et descenderet: itaque ergo singula, quemadmodum venimus per ipsam totam vallem semper nobis sancti illi loca demonstrabant. Nam in primo capite ipsius vallis, ubi manseramus, et videramus rubum illum, de quo locutus est Deus sancto Moysi in igne: videramus etiam et illum locum, in quo steterat ante rubum sanctus Moyses, quando ei dixit Deus: " solve corrigiam calciamenti tui, locus enim, in quo stas, terra sancta est „. Ac sic ergo cetera loca, quemadmodum profecti sumus de rubo, semper nobis cepere ostendere. Nam et monstraverunt locum, ubi fuerunt castra filiorum Israel his diebus, quibus Moyses fuit in montem. Monstraverunt etiam locum, ubi factus est vitulus ille: nam in eo loco fixus est usque in hodie lapis grandis. Nos etiam, quemadmodum ibamus, de contra videbamus summitatem montis, que inspiciebat super ipsa valle tota: de quo loco sanctus Moyses vidit filios Israel habentes choros his diebus, quando fecerant vitulum. Ostenderunt etiam petram ingentem in ipso loco, ubi descendebat sanctus Moyses cum Jesu filio Nave, ad quam [1] petram iratus fregit tabulas, quas afferebat [2]. Ostenderunt etiam, quemadmodum per ipsam vallem unusquisque eorum abitationes habuerant, de quibus abitationibus usque in hodie adhuc fundamenta parent, quemadmodum fuerunt lapide girata: ostenderunt etiam locum, ubi filios Israel iussit currere sanctus Moyses de porta in porta [3], regressus ad montem. Item ostenderunt nobis locum, ubi incensus est vi-
36 tulus ipse iubente sancto Moyse, quem | fecerat eis Aaron. Item ostenderunt torrentem illum, de quo potavit [4] sanctus Moyses filios Israel, sicut scriptum est in Exodo. Ostenderunt etiam nobis locum, ubi de spiritu Moysi exceperunt [5] septuaginta viri. Item ostenderunt locum, ubi filii Israel habuerunt concupiscentiam escarum. Nam ostenderunt nobis etiam et illum locum, qui appellatus est incendium, quia incensa est quaedam pars castrorum: tunc qua*ndo* orante sancto Moyse cessavit ignis [6]. Ostenderunt etiam

[1] Cod. quem. — [2] Exod. c. XXXII, 19: « Confregit eas (tabulas) ad radices montis ». — [3] Exod. c. XXXII, 27. — [4] Cod. portavit. — [5] Supple: legem — [6] Num. c. XI, 3.

et illum locum, ubi eis pluit manna, et coturnices. Ac sic ergo singula, quae scripta sunt in libris sanctis Moysi facta fuisse in eo loco, id est in ea valle, quam dixi subiacere monti Dei, id est sancto Syna, ostensa sunt nobis: quae quidem omnia singulatim scribere satis fuit, quia nec retinere poterant tanta, sed cum leget affectio vestra libros sanctos Moysi, omnia diligentius providet, quae ibi facta sunt. Haec est ergo vallis, ubi celebrata est pascha, completo anno profectionis filiorum Israel de terra Egypti, quoniam in ipsa valle Israel commorati sunt aliquandiu, id est, donec sanctus Moyses ascenderet in montem Dei, et descenderet primum et iterato et denuo; tandiu ibi immorati sunt, donec primum fieret tabernaculum, et singula, quae ostensa sunt in montem Dei. Nam ostensus est nobis et ille locus, in quo confixum mos esset tabernaculum, et perfecta sunt singula, quae iusserat Deus in montem Moysi, ut fierent. Vidimus etiam in extrema iam valle ipsa memorias concupiscentiae; in eo autem loco, in quo denuo reversi sumus ad iter nostrum, hoc est ubi exeuntes de valle illa grande, reingressi sumus via, qua veneramus, inter montes illos, quos superius dixeram [1]. Nam etiam ipsa die accessimus et ad ceteros monachos valde sanctos, qui tamen per etate aut imbecillitate occurrere in monte dei ad oblationem faciendam non poterant: qui tamen nos dignati sunt in monasteriis suis advenientes valde humane suscipere. Ac sic ergo visa loca sancta omnia, quae desideravimus, nec non etiam et omnia loca, quae filii Israel tetigerant eundo vel redeundo ad montem Dei: visis etiam et sanctis viris, qui ibi commorabantur, in nomine Dei regressi sumus in Faran [2]. Et licet semper Deo in omnibus gratias

[1] Vide superius initio fragmenti huius peregrinationis. Transitus, qui describitur, hodie vocatur *Nakb-el-Haouna* (transitus venti). Ita GUERIN, *La terre sainte*, vol. II, p. 359: « *Elle consiste en un ravin des plus pittoresques, resserré entre deux murailles parallèles de gigantesques rochers de granit rouge. C'est comme le vestibule des montagnes, qui forment l'ensemble de massif sinaïtique, entrée solennelle et imposante, dont tous les voyageurs parlent avec admiration. On entre de là dans l'Ouadi-Gharbeh, et puis dans l'Ouadi-Solaf* ».

[2] Pharan civitas memorata a Ptolomaeo l. III, c. 17 titulo κώμη, vicus: sed πόλις ab Euseb. De nomin. loc. hebr. ad Φάραν, et a Steph. Byz. ad v. Erat etiam sedis episcopalis saec. IV et V. Antoninus m. eam praetergressus est e Sinai Aegyptum petens (l. c. cap. XL): « Nobis autem visum est per Egyptum reverti, et venimus itaque in Pharan civitatem ». Quam Makvisi geographus arabus

agere debeam, non dicam in his tantis et talibus, quae circa me conferre dignatus est indignam et non merentem, ut perambularem omnia loca, quae mei meriti non erant: tamen etiam et illis omnibus sanctis nec sufficio gratias agere, quoniam parvitatem meam dignabantur in suis monasteriis libenti animo suscipere, vel
37 certe per omnia loca | deducere, quae ego iuxta scripturas requirebam. Plurimi autem ex ipsis sanctis, qui in montem Dei vel circa ipsum commorabantur, dignati sunt nos usque in Faran deducere; qui tamen fortiori corpore erant.

Ac sic ergo cum pervenissemus Faran, quod sit a monte Dei milia triginta et quinque [1], necesse nos fuit ibi ad resumendum biduo immorari. Ac tertia die inde maturantes venimus denuo ad mansionem, id est in desertum Faran [2]; ubi et euntes manseramus, sicut et superius dixi. Inde denuo alia die facientes aquam, et euntes adhuc aliquantulum inter montes pervenimus ad mansionem, quae erat iam super mare, id est in eo loco, ubi iam de inter montes exitur, et incipitur denuo totum iam iuxta mare ambulari [3]; sic tamen iuxta mare, ut subito fluctus animalibus pedes cedat; subito etiam et in centum et in ducentos passus, aliquotiens etiam et plus quam quingentos passus de mari per heremum ambuletur: via enim illic penitus non est, sed totum heremi sunt arenosae [4]. Faranite autem, qui ibi consueverunt am-

(saec. XV) totam vidit eversam, ut solummodo eius ruinas cerneret in colle inter duos montes. Id comprobatur parietinis, quae rarae in colle *El-Maharrad* supersunt prope montem *Serbal* in valle, quae adhuc nomen retinet *Ouadi Feiran.*

[1] Idem intervallum in Petro Diac. (l. c.) notatur, quum peregrina Pharan perveniens iter ad Sinaim tenderet. E loco, ubi Pharan extitisse putatur, ad monasterium Sinaiticum kilom. quadraginta circiter adnumerantur: idque situm civitatis funditus deletae non parum sustentat.

[2] Desertum Pharan, quod habitavit Ismael (Gen. XXI, 21), recte in valle *Feiran* collocatur. Ibi statio Israel (Exod. XVI, 1, 26) inter Elim et Sinai, quae et dicitur desertum Sin. In reditu e Sinai iterum permansit Israel in solitudine Pharan (Num. X, 12).

[3] Haec mansio, ad mare rubrum, collocari non potest nisi in exitu montium, in *Wady-Lakam* ad meridiem montis *Hamman-Faraoun:* quo transgresso vallis *Gharandel* aperitur, ubi mansionem Elim (Exod. XV, 27, XVI, 4) fuisse plurimi conveniunt (Robinson o. c. I, pag. 69). Et recte: nam id Peregrina nos docet, ut in Petro diacono habemus: « Per triduum de sinistro heremus est infinitus, usque in locum, qui dicitur Arandara *(Gharandel).* Arandara autem est locus, qui appellatus est Helim ».

[4] A valle *Gharandel* usque ad *Suez* terra deserta et valde laboriosa porri-

bulare cum camelis suis, signa sibi locis et locis ponent; ad quae signa se tendent, et sic ambulant per diem. Nocte autem signa cameli attendunt. Et quid plura? diligentius et securius iam in eo loco ex consuetudine faranitae ambulant nocte, quam aliqui hominum ambulare potest in iis locis, ubi via aperta est. In eo ergo loco de inter montes exivimus redeuntes, in quo loco et euntes inter montes intraveramus: ac sic ergo plicavimus nos ad mare. Filii etiam Israel revertentes ad montem Dei Syna usque ad eum locum [1], reversi sunt per iter quod ierant: id est usque ad eum locum, ubi de inter montes exivimus, et iunximus nos denuo ad mare rubrum, et inde nos iam iter nostrum, quo veneramus, reversi sumus: filii autem Israel de eodem loco, sicut scriptum est in libris sanctis Moysi, ambulaverunt iter suum [2]. Nos autem eodem itinere et eisdem mansionibus, quibus ieramus reversi sumus in Clesma [3]. In Clesma autem cum venissemus, necesse nos fuit denuo,

gitur, mari rubro et montibus *(Diebel el-Tih)* interclusa: ei nomen est in Exodo desertum Sur, cap. XV, 22; item in Num. XXXIII, 8, desertum Ethan: de quo triduum a nostra Peregrina emenso vide Petrum Diac. l. c.

[1] Verba: « reversi sunt per iter quod ierant, id est usque ad eum locum » amanuensis omiserat, eaque postea in fine pagellae minutis literis transcripsit.

[2] Hic asseritur filios Israel e solitudine Sinai reversos esse per eandem viam, quam tenuerant usque ad hunc locum, ut inde peterent terram repromissionis. Qui locus esse videtur in deserto Pharan (Num. X, 12) vel Sin (Num. XXXIII, 36); verum si nostram Peregrinam sequeremur, prope montem *Hamman-Faraoun* eam mansionem poneremus. Hanc opinionem non parum contentionis suscitaturam perspicio; sed utpote veneranda antiquitate suffultam non audeo refellere.

[3] Clysma castrum et portus in fine sinus Heroopolitani (Ptol. IV, 5; Lucian. in Pseudomant. Cosmas Indicopl. in Montfaucon Collect. n. Patrum T. II, p. 194) dictum postea ab Arabis *Kolzum*, hodie *Suez*. Nonnulli eamdem civitatem esse, ac Arsinoen, adfirmarunt: sed ab ea distinguendam esse animadvertit primus Cellarius (II, p. 831). Satis abunde de Clysmate Peregrina refert in Petro diac. ut infra videbis, eiusque situm in loco *Suez* confirmat. Nam in fine maris erythrei ab ea collocatur ad quingentos passus e monte secus mare sito, qui alius esse non potest, quam mons *Athaca*. Propter quod scribit filios Israel ad mare pergentes montem excelsum imminentem in mare habuisse dextrorsum: quod quum montem *Athaca* optime designet, excludit omnino montem *Geneffeh*, qui ad septentrionem regionis extensus illis fugientibus sinistrorsum necessario esse debebat. Nam prope Clysma filios Israel mare rubrum transisse antiqui consentiunt (Euseb. de l. et n. hebr. ad v. Βεελσεφών; Philostorg. Hist. III, c. 6; Greg. Turon. Hist. Franc. I, c. 10). Antoninus m. (c. XLI) e Sinai Clysma petivit, et venit ad ripam, ubi transierunt filii Israel, et exierunt de mari. Item omnes, qui de Aegypto egrediuntur, ut ad Sinaim se conferant, iter habent per *Suez*. Quamquam res per se ipsam ita patet, ut jam nos de Clysmate in *Suez* situ ambigere non possimus,

et ibi denuò resumere; quoniam iter heremi arenosum valde feceramus.

Sane licet terram Gesse iam nossem [1], id est qua primitus ad Egyptum fueram [2]: tamen ut praeviderem omnia loca, quae filii Israel, exeuntes de Ramesse [3], tetigerant euntes, donec pervenirent usque ad mare rubrum (qui locus nunc de castro, quod ibi est,
38 appellatur Clesma), desideri ergo fuit, ut | de Clesma ad terram Gesse exiremus, id est ad civitatem, quae appellatur Arabia [4], quae civitas in terra Gesse est: nam inde ipsum territorium sic appellatur, id est, terra Arabiae, terra Gesse, quae tamen terra Egypti pars est, sed melior satis quam omnis Egyptus est. Sunt ergo a Clesma, id est a mari rubro, usque ad Arabiam civitatem mansiones quattuor [5] per heremo; sic tamen per heremum, ut cata mansiones

atque in narratione ulteriore fiet luculentior: tamen non me fugit pedem offendere videri in epigraphen miliariam nuper repertam a cl. v. E. Naville in loco *Tell-el-Maschuta* medio in isthmo; quae milliaria novem tantum inter civitates Heroopolim et Clysma statuit graecis et latinis numeris — ƉD. NN. VICTORIBVS | MAXIMIANO ET SEVERO | IMPERATORIBVS ET | MAXIMINO ET CONSTANTI*no* | NOBILISSIMIS CAESARIBV*s* | AB ERO IN CLVSMA | ⅯⅯ VIIII Θ — Hunc lapidem denuo edidit Th. Mommsen cl. v. (Ephem. epigr. V, p. 12, n. 18, et p. 570, n. 1327), quum animadvertisset illud intervallum Itinerario Antonini non congruere, in quo milia LXVIII inter eas urbes constituuntur: quapropter difficultatem, qua erat implicatus, effugiens, alterum Clysma opportune fingere ad lacum *Timsâh* non dubitavit. Sed huius non indigemus: quod lapis in via militari positus, quae deducta erat ex Hero Clysma versus, totum spatium itineris non indicaret, sed moneret IX millibus passuum a civitate Hero distare locum, quo erat adfixus. Locus autem, ubi castri romani rudera E. Naville perspexit, non longe a Phitom extitisse videtur, si nostram prope et fideliter insequeremur.

[1] Cod. « terra gesse iam nosse ». Gessen regio orientalis Aegypti Arabiam versus a Pharaone filiis Jacob tradita (Gen. XLV, 10, XLVI, 28, 34, XLVII, 1, 4, 6, 27).

[2] Per Aegyptum peregrinata est anno superiore, cuius rei ex Petro Diac. quamdam informationem habemus.

[3] Ramesse urbs aedificata a filiis Israel (Exod. I, 11) in Gessen, in optimo terrae loco (Genes. XLVII, 11), dicta una cum Phitom urbs tabernaculorum: e qua mirum liberationis iter ipsi susceperunt. Num. XXXIII, 3: « Profecti igitur de Ramesse ».

[4] De hac civitate Arabia nulla mentio fit in scriptoribus antiquis ante saeculum quintum. Ea quidem in Iulii Honorii Cosmographia nominatur (Geographi lat. min. ed. Reise p. 27): «Arabia oppidum, Fossa Traiani oppidum.» Et in Hieroclis Synecidemo (p. 48) inter civitates praefecturae secundae Augustanicae Arabia recensetur: «Λεοντώ, Ἀθρίδης, Ἡλίου, Βούβαστος, Φάρζιθος, Ἀραβία, Κλύσμα κάστρον ». In notitia quoque Episcopatuum eiusdem praefecturae legitur (p. 81): Ἀραβίου pro Ἀραβίας.

[5] Mansiones quattuor per heremum plus minus viginti millibus passuum inter

monasteria sint cum militibus et praepositis, qui nos deducebant semper de castro ad castrum. In eo ergo itinere sancti, qui nobiscum erant, hoc est clerici vel monachi, ostendebant nobis singula loca, quae semper ego iuxta scripturas requirebam. Nam alia in sinistro, alia in dextro de itinere nobis erant, alia etiam longius de via, alia in proximo. Nam mihi credat volo affectio vestra, quantum tamen previdere potui, filios Israel sic ambulasse, ut quantum irent dextra, tantum reverterentur sinistra: quantum denuo in ante ibant, tantum denuo retro revertebantur: et sic fecere ipsum iter, donec pervenirent ad mare rubrum. Nam et Epauleum [1] ostensum est nobis, de contra tamen, et Magdalum fuimus. Nam castrum est ibi nunc habens praepositum cum milite, qui ibi nunc praesidet pro disciplina romanorum. Nam et nos iuxta consuetudinem deduxerunt inde usque ad aliud castrum, et Ioebelsephon ostensum est nobis: immo in eo loco fuimus. Nam ipse est campus supra mare rubrum, iuxta latus montis, quem superius dixi [2], ubi filii Israel, cum vidissent Egyptios post se venientes, exclamaverunt [3]. Oton [4] etiam ostensum est nobis, quod est iuxta deserta loca, sicut scriptum est: nec non etiam et Socchoth [5]. Socchoth autem est

se sejungebantur, ita ut conficerent in toto millia LXXX vel LXXXX, scilicet illud viae spatium quod inter Clysma et Arabiam intercedit.

[1] Primum mari rubro proximum Epauleum Ἐπαύλεον collocatur, ut septuaginta nomen hebraeum verterunt Phihahiroth, quod interpres latinus retinuit. Exod. XIV, 2: « Reversi castrametentur e regione Phihahiroth, quae est inter Magdalum et mare contra Beelsephon: in conspectu eius castra ponetis super mare ». Interpunctionem quidem codicis ita accepimus: « Epauleum ostensum est nobis. de contra tamen et Magdalum fuimus ». Sed ad eam corrigendam adducimur ex graeca versione: ἀπέναντι τῆς ἐπαύλεως, id est *contra villam*. Eusebius quoque (o. c. ad v.) ex Iroth filios Israel mare rubrum transfretasse scribit.

[2] Beelsephon campus erat supra mare rubrum juxta latus montis *Athaca*, cuius descriptionem ex chartis codicis nunc descissis Petrus Diac. nobis servavit: quapropter ad laevam itineris partem a peregrina visebatur, quae communi tramite deflexa locum ipsum adiit: ergo ad ejus dexteram extabat Phihahiroth, quum in Exodo scriptum esset (XIV, 9): « in Phihahiroth contra Beelsephon ».

[3] Exod. XIV, 10: « Levantes filii Israel oculos, viderunt Aegyptios post se: et timuerunt valde: clamaveruntque ad Dominum ».

[4] Oton videlicet Etham, in Exod. XIII, 20: « Profectique de Socoth castra metati sunt in Etham, in extremis finibus solitudinis ».

[5] Σοκχωθά, prima mansio filiorum Israel e Ramesse: difficile atque incertum expedire de qua valle hic quaestio agatur; non longe ut videtur a Phitom, quod mox sequitur.

clivus modicus in media valle, iuxta quem colliculum fixerunt castra filii Israel: nam hic est locus, ubi accepta est lex paschae. Pithona [1] etiam civitas, quam aedificaverunt filii Israel, ostensa est nobis in ipso itinere: in eo tamen loco ubi iam fines Egypti intravimus, relinquentes terras Saracenorum [2]: nam et ipsud nunc Phitona castrum est. Heroum [3] autem civitas, quae fuit illo tempore, id est ubi occurrit Ioseph patri suo Iacob venienti, sicut scriptum est in libro Genesis, nunc est come [4], sed grandis, quod nos dicimus vicus. Nam ipse vicus ecclesiam habet et monasteria plurima sanctorum monachorum: ad quae singula videnda necesse nos fuit ibi descendere iuxta consuetudinem, quam tenebamus. Nam ipse
39 vicus nunc appellatur Hero: quae tamen Hero | a terra Iesse miliario iam sextodecimo est [5], nam in finibus Egypti est: locus autem ipse satis gratus est, nam et pars quaedam fluminis Nili ibi currit [6]. Ac sic ergo exeuntes de Hero pervenimus ad civitatem, que appellatur Arabia, quae est civitas in terra Iesse. Unde scriptum est dixisse Pharaonem ad Ioseph: " In meliori terra Egypti colloca patrem tuum et fratres in terra Iessen, in terra Arabiae [7] „.

De Arabia autem civitate quattuor milia passus sunt Ramessen [8]. Nos autem, ut veniremus ad mansionem Arabiae, per media Ramesse

[1] Pithon, Phiton, septuaginta Πειθώ. Exod. I, 11: « Aedificaveruntque urbes tabernaculorum Pharaoni Phitom et Ramessen ». Censent viri eruditi esse Πάτουμον Herodoti (l. II, c. 158), quam praeterlabatur fossa a Neco et Dario ex Rubastio Nili alveo in mare rubrum deducta: cuius fossae etiam nunc vestigia manent. Quam ob rem si Phitom non longe a loco *Tell-el-Maschuta* collocemus, ubi reperta est inscriptio miliaria, de qua superius, nos in errore versari non arbitremur.

[2] Traiecerat terras Saracenorum, desertum Arabiae, e Clysma ad Phitom, quae ab Herodoto (l. c.) dicta est civitas Arabiae, ut νόμον Heroopolitanum ingrederetur.

[3] Heroum civitas, Ἡρῶων πολίς, iuxta quam, ut in Septuaginta legitur, Joseph obviam ivit patri suo — καθ' Ἡρωώπολιν εἰς γῆν Ραμεσσῆ. Textum autem hebraeum et vulgata tantum habent: « occurreret in Gessen (vel Goeschen) ».

[4] Cod. comes: gr. κώμη.

[5] Ex Itinerario Antonini scimus fuisse millia LXVIII a Clysmate ad Heroopolim, nunc millia XVI esse ab Heroopoli ad terram Gessen, quae pro civitate Arabia recte intelligi potest: quare a Clysmate ad Arabiam millia fuerunt LXXXIIII, quattuor mansionibus (v. supra, p. 46 nota 5) separata.

[6] Quae Nili fluminis pars? Profecto amnis Traiani a Babylone ad Heroopolim deductus, de quo Ptolomaeus l. IV, c. 5. Ἡρωώνπολις, δι' ἧς καὶ Βαβυλῶνος πόλεως Τραϊάνοῦ ποταμὸς ῥεῖ.

[7] Vulgata: « in terram Gessen »; sed Septuaginta: « ἐν γῇ Γεσὲν Ἀραβίας ».

[8] Quattuor millia antequam Arabiam perveniret, duodecim ab Heroopoli.

transivimus: quae Ramessen civitas nunc campus est, ita ut nec unam habitationem habeat. Paret sane, quoniam et ingens fuit per girum, et nullas fabricas habuit; ruinae autem ipsius, quemadmodum collapsae sunt, in hodie infinitae parent. Nunc autem ibi nichil aliud est, nisi tantum unus lapis ingens thebeus [1], in quo sunt duae statuae exclusae [2], ingentes, quas dicunt esse sanctorum hominum, id est Moysi et Aaron: nam dicent, eo quod filii Israel in honore ipsorum eas posuerint. Et est ibi praeterea arbor sicomori, quae dicitur a patriarchis posita esse: nam iam vetustissima est, et ideo permodica est, licet tamen fructus afferat. Nam cuicumque commoditas [3] fuerit, vadent ibi, et tollent surculos, et prode illis est. Hoc autem, referente sancto episcopo de Arabia, cognovimus. Nam ipse nobis dixit nomen ipsius arboris, quemadmodum appellant eam grece, id est dendros alethiae, quod nos dicimus arbor veritatis [4]. Qui tamen sanctus episcopus nobis Ramessen occurrere dignatus est: nam etiam iam senior vir, vere satis religiosus ex monacho, et affabilis suscipiens peregrinos valde bene: nam et in scripturis Dei valde eruditus est. Ipse ergo cum se dignatus fuisset vexare, et ibi nobis occurrere, singula ibi ostendit, seu retulit de illa statua [5], quas dixi, ut etiam et de illa arbore sicomori. Nam et hoc nobis ipse sanctus episcopus retulit, eo quod Farao quando vidit, quod filii Israel dimiserant eum: tunc ille, priusquam post illos occuparet, isset cum omni exercitu suo intra Ramesse, et incendisset eam omnem, quia infinita erat valde, et inde post filios Israel fuisset prosecutus.

Nobis autem fortuitu hoc gratissimum evenit, ut ea die, qua venimus ad mansionem Arabia, pridie a beatissimo die epiphania [6]

[1] Ingens lapis thebeus, sive e Thebaidos fodinis porphyreticis erutus, sive ad similitudinem eorum factus, quos in ruinis Thebarum viderat ipsa.

[2] Monumentum pharaonicum fuisse censeo, in quo fortasse quidam ex regibus cum Osiride erat effictus: sed eo tempore christiana pietas plura mirabilia Aegypti monumenta ad sanctae scripturae tempora et homines referebat.

[3] Codex ita se habet: « Nam cuicumque in quo moditas fuerit ».

[4] In margine chartae adnotatum est: — δενδρος αληθιας —. Palaeographia ad saec. XV spectare videtur: suspicor manum Poggii, qui per aliquot dies in Abbatia casinensi codices adsidue pervestigavit.

[5] Sic cod. Neque vero erant statuae, sed opus anaglyphum in eodem lapide.

[6] Sic cod. pro vigilia Epiphaniae. Hunc beatissimum diem dicit, ob eam quoque causam, quod tunc Graeci ea ipsa die Natalem Domini celebrabant, ideoque vigiliae nocturnae agendae erant in ecclesia.

esset: nam eadem die vigiliae agende erant in ecclesia. Ac sic ergo aliquo biduo ibi tenuit nos sanctus episcopus, sanctus et vere homo
40 Dei, notus mihi iam satis | de eo tempore, a quo ad Thebaidam fueram [1]. Ipse autem sanctus episcopus ex monacho est: nam a pisinno in monasterio nutritus est, ideo aut tam eruditus in scripturis est, aut tam emendatus in omni vita sua, ut et superius dixi. Nos autem inde iam remisimus milites, qui nobis pro disciplina romana auxilia prebuerant, quamdiu per loca suspecta ambulaveramus. Iam autem quoniam ibi iam agger publicus [2] erat per Egyptum, quod transiebatur per Arabiam civitatem, id est quod mittit de Thebaida in Pelusio, et ideo iam non fuit necesse vexare milites. Proficiscentes ergo inde totum per terram Gessen, iter fecimus semper inter vineas, quae dant vinum, et vineas, quae dant balsamum, et inter pomaria et agros cultissimos, et hortos: primos iam habuimus totum super ripam fluminis Nili [3] inter fundos frequentissimos, quae fuerant quondam villae filiorum Israel. Et quid plura? pulchriorem territorium puto me numquam vidisse, quam est terra Iessen. Ac sic ergo ab Arabia civitate iter facientes pro biduo totum per terram Gessen pervenimus Tatnis: in ea civitate, ubi natus est sanctus Moyses. Haec est autem civitas Tathnis, quae fuit quondam metropolis Pharaonis [4]. Et licet ea loca, ut superius dixi, iam nossem [5], id est quando Alexandriam vel ad Thebaidem fueram, tamen quia ad plenum discere volebam loca, quae ambulaverunt filii Israel, proficiscentes ex Ramesse usque ad montem Dei, sanctus Syna; ac sic necesse fuit etiam denuo ad terram

[1] Hic et paulo post ipsa memorat suam in Thebaidem peregrinationem, quae obvenit, quum primum in Aegyptum se contulisset.

[2] Cod. ager publicus. Nam non de agro publico, qui ad populum romanum pertinebat, sed de via (vel aggere) publica et militari mentio facta esse videtur; quae via e Thebaide deducta transibat per Arabiam civitatem, alveo pelusiaco probabiliter adpositam, inde ad Pelusium perveniebat.

[3] Iter super ripam fluminis Nili, scilicet alvei pelusiaci, qui extremus est in parte orientali, atque in νομῷ Arabiae.

[4] Tani et Tathnis, Zoan et Tsan in sacris chartis, prope ostium taniticum posita ad orientem ipsius alvei. Fuit sedes Pharaonis tempore Moysis (Num. XIII, 23), etiam postea (Isaia, XIX, 11, 13), ubi Moyses natus esse et miracula fecisse putatur (Psalm. LXXVII, 12, 43 « prodigia sua in campo Taneos »). Magna erat urbs tempore Augusti (Strab. XVII, pag. 802), atque titulo μεγάλη in Steph. Byz. (ad v. Τάνις) legitur. Rudera eius mirabilia etiam nunc visuntur (Cf. Smith, Diction. ad v. *Tanis*). — [5] Cod. nosse.

reverti, et inde Tathnis. Proficiscens ergo de Tathnis, ambulans per iter iam notum perveni Pelusio: et inde proficiscens denuo, faciens iter per singulas mansiones Egypti, per quas iter habueramus, perveni ad fines Palestinae. Et inde in nomine Christi Dei nostri, faciens denuo mansiones aliquod per Palestina, regressa sum in Helia, id est in Ierusolimam.

Item transacto aliquanto tempore, et iubente Deo, fuit denuo voluntas accedendi usque ad Arabiam, id est ad montem Nabaú [1]: in eo loco, in quo iussit Deus ascendere Moysen, dicens ad eum: " Ascende in montem Arabot, montem Nabaú, qui est in terra Moab contra faciem Ierico: et vide terram Chanaan, quam ego do filiis Israel in possessionem, et morere in monte ipso, in quem ascenderis „ [2]. Itaque ergo Deus noster Iesus, qui sperantes in se non deseret, etiam et in hoc voluntati meae effectum praestare dignatus est. Proficiscens ergo Ieruso|lima fecimus iter cum san- 41
ctis, id est presbitero de diaconibus de Ierusolima et fratribus aliquantis, id est monachis. Pervenimus ergo usque ad eum locum Iordanis, ubi filii Israel transierant, quando eos sanctus Iesus filius Nave Iordanem traiecerat, sicut scriptum est in libro Iesu Nave. Nam et locus ille ostensus est nobis, quasi modice altior, ubi filii Ruben et Gad et dimidia tribus Manasse fecerant aram, in ea parte ripae, qua est Iericho [3]. Transeuntes ergo fluvium pervenimus ad civitatem, que appellatur Libiada [4], quae est in eo

[1] Septuaginta Ναβαύ, hebr. et vulg. Nebo, mons supra Jordanem contra Jerichum in sexto miliario urbis Esbus (Eus. et Hieron. ad voc. *Abarim* et *Nabau*). Nonnulli eum animadverterunt in *Jebel Atlarus*, sed ad veritatem maxime videntur accedere Pierotti (*Carta biblica e stor. d. Palestina*) et Dux de Luynes (*Voyage à la Mer Morte*) in monte *Diebel Neba*.

[2] Deut. XXXII, 49. Vulgata: « Ascende in montem istum Abarim, id est, transitum, in montem Nebo, qui est in terra Moab contra Iericho: et vide terram Chanaan, quam ego tradam filiis Israel obtinendam, et morere in monte ». (v. 50): « Quem conscendens etc. ».

[3] Jos. c. IV, 12. Filii Ruben, et Gad et dimidia tribus Manasse armati praecedebant filios Israel: non quidem illi fecerant aram, sed singuli de singulis tribubus (c. IV v. 4, 8) sumpserunt de medio Jordanis alveo duodecim lapides, quos Josue posuit in Galgala. Qui lapidum acervus ostendebatur tempore s. Hieronymi (Peregrinatio s. Paulae § 14) et Theodosii (circa a. 530, § 16: « A Jordane ad Galgala stadiis quinquaginta »).

[4] Livias iuxta Iordanem, antea dicta *Betaramphtha*, ab Herode in honorem Augusti Livias cognominata (s. Hier. in Eus. ad v. *Betharam*): in planitie erat

campo, in quo tunc filii Israel castra fixerant. Nam et fundamenta de castris filiorum Israel et habitationibus ipsorum, ubi commorati sunt, in eo loco in hodie parent. Nam hic est locus, de quo scriptum est:[1] " Et ploraverunt filii Israel Moysen in Arabot Moab et Iordane contra Ierico quadraginta diebus „. Hic etiam locus est, ubi post recessum Moysi statim Iesus filius Nave repletus est spiritu scientiae: imposuerat enim Moyses manus suas super eum, sicut scriptum est. Nam ipse est locus, ubi scripsit Moyses librum Deuteronomii[2]: hic etiam est locus, ubi locutus est Moyses in aures totius ecclesiae Israel verba cantici usque in finem huius, qui scriptus est in libro Deuteronomii[3]. Hic est ipse locus, ubi benedixit sanctus Moyses homo[4] de filio Israel singulatim per ordinem ante obitum suum. Nos ergo cum venissemus in eodem campo, peraccessimus ad locum ipsum, et facta est ibi oratio: lecta etiam pars quedam Deuteronomii in eo loco, nec non etiam et canticus ipsius, sed et benedictiones, quas dixerat super filios Israel. Et iterato post lectione facta est oratio, et gratias Deo agentes movimus inde. Id enim nobis semper consuetudinis erat, ut ubicumque ad loca desiderata accedere volebamus, primum ibi fieret oratio; deinde legeretur lectio ipsa de codice, diceretur etiam psalmus unus pertinens ad rem, et iterato fieret ibi oratio. Hanc ergo consuetudinem iubente Deo semper tenuimus, ubicumque ad loca desiderata potuimus pervenire. Ac sic ergo, ut ceptum opus perficeretur, cepimus festinare, ut perveniremus ad montem Nabaú. Euntibus nobis commonuit presbiter loci ipsius, id est de Libiade, quae ipsum nobiscum rogantes moveramus de mansione, quia

posita (Hier. l. c. ad v. *Abarim*: « Ascendentibus de Liviade in Esbun »), quod confirmatur: « Libiada, quae est in eo campo, in quo tunc filii Israel castra fecerant ». Distabat quinque millia a Iordane, duodecim ab Hiericho (Theod. De terra sancta c. XIX: Greg. Turon. De glor. mart. l. I. c. 18): propterea quod millia septem ab Hierico ad Iordanum computarentur. Ibi scatebant aquae calidae, dictae thermae Moysis, in quibus leprosi mundabantur (Theod. l. c., et Anton. m. l. c. c. X, a quo Libias vocatur Salamaida).

[1] Planities Libiadis tempore Moysis appellabantur *Campestria Moab*, sive Moabitarum. Quod hic dicitur, ad locum respicit Deuter. XXXIV, 8: « Fleveruntque eum filii Israel in campestribus Moab triginta diebus (non quadraginta) ». Item graeca versio: « τριάκοντα ἡμέρας ».

[2] Deut. c. XXXI, 9.

[3] Canticum Moysis. Deut. XXXII: « Audite coeli etc. ».

[4] Sic cod. Deut. XXXIII, 1.

melius ipsa loca noverat. Dicit ergo nobis ipse presbiter: si vultis videre aquam, quae fluit de petra, id est quam dedit Moyses filiis Israel sitientibus, potestis videre; si tamen volueritis laborem vobis imponere, ut de via camsemus [1] | forsitan miliario sexto. Quod cum 42
dixisset, nos satis avidi optati sumus ire: et statim divertentes a via, secuti sumus presbiterum, qui nos ducebat. In eo ergo loco ecclesia est pisinna subter montem non Nabaú, sed alterum interiorem; sed nec ipse longe est de Nabaú: monachi autem plurimi commanent ibi vere sancti, et quos hic ascites vocant.

Hi ergo sancti monachi dignati sunt nos suscipere valde humane, nam et ad salutationem suam permiserunt nos ingredi. Cum autem ingressi fuissemus ad eos, facta oratione cum ipsis, eulogias nobis dare dignati sunt, sicut habent consuetudinem dandi his, quos humane suscipiunt. Ibi ergo inter ecclesiam et monasteria, in medio fluit de petra aqua ingens pulchra valde, et limpida saporis optimi. Tunc interrogavimus nos etiam et illos sanctos monachos, qui ibi manebant, quae esset haec aqua talis et tanti saporis. Tunc illi dixerunt: haec est aqua, quam dedit sanctus Moyses filiis Israel in hac heremo. Facta est ergo iuxta consuetudinem ibi oratio, et lectio ipsa de libris Moysi lecta, dictus etiam psalmus unus: et sic simul cum illis sanctis clericis et monachis, qui nobiscum venerant, perexivimus ad montem. Multi autem et ex ipsis monachis sanctis, qui ibi commanebant iuxta aqua ipsa, qui tamen potuerunt imponere sibi laborem, dignati sunt nobiscum ascendere montem Nabaú. Itaque ergo profiscientes de eodem loco, pervenimus ad radicem montis Nabaú, qui erat valde excelsus, ita tamen ut pars eius maxima sedendo in asellis possit subiri: modice autem erat acrius, quod pedibus necesse erat subiri cum labore, sicut et factum est.

Pervenimus ergo ad summitatem montis illius, ubi est nunc ecclesia non grandis in ipsa summitate montis Nabaú. Intra quam ecclesiam, in eo loco ubi pulpitus est [2], vidi locum modice quasi altiorem tantum hispatii habentem, quantum memoriae solent ha-

[1] Gloss. Isid. *Campsat*, flectit.

[2] Fons et coenobia quae describuntur sexto miliario a Libiade, in *monte interiore* longius a Iordane sita, mihi coniectura valde probabili videntur esse *Ain Musa* (*fons Moysis*) ad septentrionem montis Nebo (*Iebel Nabah*). Consule tabulam mare mortuum describentem in opere Ducis de Luynes, *Voyage à la mer morte.*

bere. Tunc ergo interrogavi illos sanctos, quidnam esset hoc, qui responderunt: hic positus est sanctus Moyses ab angelis, quoniam, sicut scriptum est, sepulturam illius nullus hominum scit[1]: quoniam certum est eum ab angelis fuisse sepultum. Nam memoria illius, ubi positus sit, in hodie non ostenditur: sicut enim nobis a maioribus, qui hic manserunt, ubi ostensum est, ita et nos vobis monstramus: qui et ipsi tamen maiores ita sibi traditum a maioribus
43 suis | esse dicebant. Itaque ergo mox facta est oratio, et omnia quae in singulis locis sanctis per ordinem consueveramus facere, etiam et hic facta sunt: et sic cepimus egredere de ecclesia. Tunc autem qui erant loci notores, id est presbiteri vel monachi sancti, dixere nobis: si vultis videre loca, quae scripta sunt in libris Moysi, accedite foras hostium ecclesiae, et de summitate ipsa, ex parte tamen ut possitis hinc parere, attendite et videte: et dicimus vobis singula, quae sunt loca haec, quae parent. Tunc nos gavisi satis, statim egressi sumus foras. Nam de hostio ipsius ecclesiae[2] vidimus locum, ubi intrat Iordanis in mare mortuum: qui locus subter nos, quem ad modum stabamus, parebat. Vidimus etiam de contra non solum Libiadam, quae circa Iordanem erat, sed et Iericho, que trans Iordanem tantum eminebat, excelsus locus ubi stabamus, id est ante hostium ecclesiae. Maxima etiam pars Palestinae, quae est terra repromissionis, inde videbatur, nec non et omnis terra Iordanis, in quantum tamen poterat oculis conspici. In sinistra autem parte[3]

[1] « Nullus hominum scit » Deut. XXXIV, 5.

[2] Frons ecclesiae ad solis occasum vertebatur: inde, e supercilio Phasga, sive Nebo, Iordanem in mare mortuum se inferre, sicuti subtus esset, peregrina conspiciebat, e contra autem Libias et Hierico extabant.

[3] Intellige partem australem, qua vidit etiam Segor, quae dicta Zoar fuit civitas Arabiae Petreae (Ioseph. Bell. Iud. l. IV, c. 27), ad mare mortuum (Steph. Byz. ad v. Ζοάρα) ex quinque civitatibus Sodomitarum sola reservata (Hier. Nom. Hebr. ad. v. Segor: « quae usque nunc ostenditur ») : praesidium militum tempore romani imperii habuit, nec non sedem episcopalem (Le Quien *Or. Christ.* III, p. 738). De eius ubicatione et ruinis valde disputarunt viri docti, qui fere omnes sitam fuisse arbitrantur ad extremum mare Asphaltitidis, ac si ipsum mare esset inter Hiericho et Zoaram (Euseb. o. c. ad v. Θαλάσσα). Verum si e Nebo Segor conspiciebatur, in australi maris extremitate extare non potuisse necesse est. Scimus e vertice Nebo Dominum Moysi terram promissionis usque Segor ostendisse (Deut. XXXIV, 3): nec non s. Paulam e supercilio *Caphar Barucha* ita contemplatam esse Engaddi et Segor, ut in eodem ipso conspectu Segor esset contra Engaddi. Neque igitur prorsus refellenda est opinio Ducis de Luynes, viri

vidimus terras Sodomitum omnes, nec non et Segor: quae tamen Segor sola de illis quinque hodie constat. Nam et memoriale ibi est, de ceteris autem illis civitatibus nihil aliud apparet, nisi subversio ruinarum[1], quem ad modum in cinerem converse sunt. Locus etiam, ubi fuit titulus uxoris Loth, ostensus est nobis; qui locus etiam in scripturis legitur. Sed mihi credite, domine venerabiles, quia columna ipsa iam non paret, locus autem ipse tantum ostenditur: columna autem ipsa dicitur mari mortuo fuisse cooperta[2]. Certe locum videremus: columnam nullam vidimus, et ideo fallere vos super hanc rem non possum. Nam episcopus loci ipsius, id est de Segor[3], dixit nobis, quoniam iam aliquot anni essent, a quo non pareret columna illa. Nam de Segor forsitan sexto miliario ipse locus est, ubi stetit columna illa, quod nunc totum cooperit aqua. Item de dextra parte ecclesiae a foras tamen accessimus, et ostense sunt nobis inde a contra duae civitates, id est Esebon[4], quae fuit regis Seon regis Amorreorum, quae nunc appellatur Exebon:

doctissimi (*Voyage à la mer morte* p. 358, et I-III praef.), qui duas civitates eodem nomine extitisse arbitrabatur, alteram non longe ab ostio Iordanis, alteram ad maris extremitatem. Ad hoc si tandem illud accedere velimus, quod D. Tristam se reperisse adfirmat, vestigia antiquae civitatis in colle ab Arabis dicto *Zi'ara* adhuc manere sub monte Nebo occidentem versus (Falcucci, *Il mar morto* p. 373), de re nondum explorata in eamdem sententiam ire non recusabo. Quid? Testem habemus Antoninum m. qui non longe a Nebo nos docet fuisse Segor (cap. X): « De Iordane usque ad locum illum, in quo Moyses de corpore exivit, sunt milia octo, et exinde non multum longe ad Segor, in quibus locis sunt multi eremitae ». Haec quidem omnia coniurant, ut nos ad Zoaram collocandam in superiore littore orientali maris mortui adducamur.

[1] Ruinas subversae pentapolis alii etiam auctores memorant, quibus adimendae fidei E. Falcuccius apprime studuit (o. c. p. 375 et seqq.). Confer Strabonem l. XVI, p. 764: « κατοικία δὲ ἀνατετραμμένας σποράδεν ». Ios. Fl. Bell. Iud. V, c. 5: « πέντε μὲν πόλεων ἰδεῖν σκιάς ». Tacit. Hist. V, c. 7: « Campi, quos ferunt olim uberes, magnisque urbibus habitatos, fulminum iactu arsisse, et manere vestigia ».

[2] Cod. quo operta.

[3] Non fortuito episcopum Segor ibi adesse puto, sed montem Nebo ascendisse, ut nostram feminam venerabilem viseret et salutaret: qua de re modestiae causa silentium ipsa tenuit.

[4] Esebon urbs Sehon regis Amorrhaeorum (Num. XXXII, 37; Deut. II, 26, 30, 32) hodie *Hasban*: distabat a Iordane millia viginti, e monte Nebo tantum sex. Illa verba « quae nunc appellata Exebon » videntur fere ex Eusebio deprompta: ἥ καλεῖται νῦν Ἐσβοῦς.

et alia Og regis Basań, quae nunc dicitur Sasdra[1]. Item de eodem
44 loco ostensa est nobis a contra Fogor[2], quae fuit | civitas regni Edom. Hae autem civitates omnes, quas videbamus, in montibus erant positae, infra autem modice deorsum planior locus nobis videbatur. Tunc dictum est nobis, quia in isdem diebus, quando sanctus Moyses vel filii Israel contra illas civitates pugnaverunt, castra ibi fixa habuissent: nam et signa ibi parebant castrorum. Sane illa parte montis, quam dixi sinistra, quae erat super mare mortuum, ostensus est nobis mons precisus valde, qui dictus est ante Agri specula[3]. Hic est mons, in quo posuit Balac filius Beor Balaam divinum ad maledicendos filios Israel; et noluit Deus ita permittere, sicut scriptum est. Ac sic ergo visis omnibus, quae desiderabamus, in nomine Dei revertentes per Iericho, et iter omne, quod iveramus, regressi sumus in Ierusolimam.

Item post aliquantum tempus volui etiam[4] ad regionem Ausitidem[5] accedere propter visendam memoriam sancti Iob gratia orationis[6]. Multos enim sanctos monachos videbam inde venientes in Ierusolimam ad visenda loca sancta gratia orationis: qui singula referentes de eisdem locis, fecerunt magis desiderium imponendi mihi laboris, ut etiam usque ad illa loca accederem: si tamen labor dici potest, ubi homo desiderium suum compleri videt. Itaque ergo profecta sum de Ierusolima cum sanctis, qui tamen dignati sunt itineri meo comitatum prestare, et ipsi tamen gratia orationis. Habens ergo iter ab Ierusolima usque ad Carnéas eundo per man-

[1] Sasdra civitas Basan, sive Batanaeae, erat profecto in eius provinciae finibus australibus posita, prorsus, ni fallor, ignota: nisi malimus eamdem esse, ac *Salcham*. Deut. c. III, v. 10.

[2] Fogor inter civitates Edom vel Idumaeae non reperitur in sacris chartis: legimus tamen in Hieronymo (Nomin. Hebraic.): « Bethfogor, urbs filiorum Ruben trans Iordanem iuxta montem Fogor contra Hiericho, sex millibus supra Libiadem ». Et in Deuter. III, 10: « Mansimus in valle (in campestribus Moab) contra Fanum Phogor ».

[3] In cod. agrisecula, errore amanuensis. Hier. in Eus. o. c.: « Agrispecula, mons est Moabitarum, in quibus adduxit Balac, filius Sephor, Balaam divinum ad maledicendum Israel super verticem, qui propter vehemens praeruptum vocatur excisus, et imminet mari mortuo haud procul ab Arnone ».

[4] Cod. esse. — [5] Ausitidis: sic Septuaginta verterunt nomen regionis Utz, vel Hus. Iob, I, 1: « Vir erat in terra Hus ».

[6] Saeculo quarto peregrinatio ad sepulcrum Iob devote suscipiebatur, ut ex omelia quinta Ioh. Chrysostomi ad populum Antiochenum compertum habemus.

siones octo. Carneas autem dicitur civitas Iob, quae ante dicta est Dennaba in terra Ausitidi, in finibus Idumeae et Arabiae[1]. In quo itinere hiens vidi super ripam fluminis Iordanis vallem pulchram satis, et amenam, habundantem vineis et arboribus: quoniam aquae multe ibi erant, et optimae satis. Nam in ea valle vicus erat grandis, qui appellatur nunc Sedima[2]. In eo ergo vico, qui est in media planitie positus, in medio loco est monticulus

[1] Nil dubium, quin Carnaea sit Carnaim-Asteroth, teste Eusebio, Onom. ad v. quod vertit Hieronymus: « Carnaim-Astaroth, Carnaim nunc vicus est grandis in angulo Batanaeae, et appellatur Carnaea trans fluenta Iordanis: traduntque ibi fuisse Iob ». Sed verba Eusebii sunt haec: « χώρη μεγίστη τῆς Ἀραβίας, καὶ ἥτις ἐστιν ἡ Βαταναία λεγόμενη ». Idem Eusebius: « Astaroth, antiqua civitas. . . . . regionis Bataneae, et sex millibus ab Adra urbe Arabiae separata est. Porro Adra a Bostra vigintiquinque millibus distat ». Haec sufficerent, ut nobis distinguere liceat Carnaim a Bostra vel Bosor, quas unum et idem faciunt hodie quidam eruditi viri; quorum praecipuas sententias collegit cl. v. Vincentius De-Vit in suo Onomastico ad v. *Astaroth* et *Bosor*. Verum non me fugit gravem inde quaestionem exoriri, quam tamen leviter perstringam. Eusebius clare seiungit Bostram metropolim Arabiae (ad v. Βοσιόρ; Ammian. Marcell. l. XIV, 27: « civitas ingens Arabiae ») a Carnaim vico in angulo Batanaeae: mensuram quoque itineris inter eas statuit, nam millia unum et triginta per Adram intercedere scribit. Neque illud videtur probabile, unam civitatem duobus nominibus eodem tempore notari, quum suum proprium nomen utriusque civitatis in libris monumentisque reperiatur. Ceterum de ea singularitate quidem Peregrina non tacuisset, quippe quae antiquum vici nomen Dennaba revocasset, erudite fortasse (Euseb. in v. Δανααβά). Ex dictis praeterea deducere possumus civitatem Carnaeam in finibus fuisse Batanaeae et Arabiae: ea enim, quae apponuntur, « in finibus Idumeae et Arabiae » non ad loci veritatem spectant (Idumaea enim in regione meridionali Iudaeae porrigebatur), sed ex eo additamento libri Job, quod in versione graeca legitur atque in vetere latina, est depromptum. Longius a Iordane quam Bostra Carnaea extabat: quod non modo ex Eusebio, sed etiam ex itineris intervallis deduci potest. Octo enim mansiones Hierosolymis Carnaeam numerabantur, quum tres tantum Hierosolymis Scithopolim, per quam iuxta Iordanem transibatur, sufficerent: ergo aliae quinque superabant, ut Carnaeam accederetur. Sed civitas Bostra a Iordane trium aut quatuor dierum spatio disiuncta erat (De-Vit in v. *Bosor*): una igitur vel duae supererant mansiones ad Carnaeam usque orientem versus, aliud licet iter a viatoribus sumeretur. Hodie Bostra retinet in regione *Haouran* locum et nomen *Botzra*, ubi plurima monumenta graeca atque latina sunt reperta (Waddington, *Inscript. gr. et lat. de la Syrie* n. 1910 et seqq.): quamobrem Carnaeam id est Asteroth Carnaim, si rem ex superioribus sententiis conficiamus, ad montes *Haouran*, qui tunc in limitibus Batanaeae Arabiam definiebant, positam esse constat.

[2] Vicus *Sedima* omnino ignotus: verum idem fuisse videtur, qui ab Hieronymo (Nomin. Hebr. in v. *Salem*) appellatus est *Solumias* in octavo lapide a Scythopoli (hodie *Basan*).

non satis grandis, sed factus sicut solent esse tumbae, sed grandis: ibi ergo in summo ecclesia est, et deorsum per girum ipsius colliculi parent fundamenta grandia antiqua. Nunc autem in ipso vico turbae aliquantae commanent. Ego autem cum viderem locum tam gratum, requisivi, quisnam locus esset ille tam amenus. Tunc dictum est michi: haec est civitas regis Melchis, et haec quae dicta est ante Salem, unde nunc, corrupto sermone, Sedima ap-
45 pellatur ipse vicus[1]. Nam in isto colliculo, | qui est medio vico positus, in summitatem ipsius fabricam, quam vides, ecclesia est: quae ecclesia nunc appellatur greco sermone, opu melchis[2]. Et haec nam hic est locus, ubi optulit Melchisedech ostias Deo puras, id est panes et vinum, sicut scriptum est eum fecisse[3].

Statim ergo, ut haec audivi, descendimus de animalibus: et ecce occurrere dignatus est sanctus presbiter ipsius loci, et clerici; qui nos statim suscipientes duxerunt suso ad ecclesiam. Ubi cum venissemus, statim iuxta consuetudinem primum facta est oratio: deinde lectus est ipse locus de libro sancti Moysi, dictus est etiam psalmus unus competens loco ipsi: et denuo facta oratione descendimus. Cum ergo descendissemus, ait nobis ille sanctus presbiter iam senior et de scripturis bene instructus, id est qui ipsi loco preerat ex monacho, cui presbitero et episcopi plurimi, quantum postmodum cognovimus, vitae ipsius testimonium grande ferebant. Nam hoc de ipso dicebant, dignus qui presit in hoc loco, ubi sanctus Melchisedech advenientem sanctum Abraam hostias Deo puras primus optulit.

Cum ergo descendissemus, ut superius dixi, de ecclesia deorsum, ait nobis ipse sanctus presbiter: Ecce ista fundamenta in giro colliculo isto, quae videtis, hae sunt de palatio regis Melchisedech[4].

[1] Optime ad rem congruunt verba Hieronymi (Epist. ad Evangelium): « Salem autem non, ut Iosephus et nostri omnes arbitrantur, esse Ierusalem; . . . . . sed oppidum iuxta Scythopolim, quod usque hodie appellatur Salem, et ostenditur ibi palatium Melchisedech, ex magnitudine ruinarum, veteris operis ostendens magnificentiam ». Chron. Paschale (de Melchisedech): « Εἰς τὸ πέραν τοῦ Ἰορδάνου εἰς Σαλὴμ πόλιν, οὗ τὴν κώμην ἐθεασάμην ». Quod non vere: nam non *ultra* sed *citra* Iordanem oppidum Salem fuisse videtur.

[2] Opu Melchis pro Ὄρος Μελχίς, littera mutata propter formae similitudinem.

[3] Genes. XIV, 18-20.

[4] De ruderibus palatii Melchisedech tempore s. Hieronymi extantibus, eum auctorem secuti, diximus supra in Salem.

Nam inde adhuc sic si quis subito iuxta sibi vult facere domum et fundamenta, inde contiget, aliquotiens et de argento et heramento modica frustella ibi invenit. Nam et certa via, quam videtis transire inter fluvium Iordanem et vicum istum, haec est qua via regressus est sanctus Abraam de cede Chodollagomor regis gentium, revertens in Sodomis, quando ei occurrit sanctus Melchisedech rex Salem. Tunc ergo quia retinebam scriptum esse baptizasse sanctum Iohannem in Enon iuxta Salim [2], requisivi de eo, quam longe esset ipse locus. Tunc ait ille sanctus presbiter: ecce hic est in ducentis passibus [3]; nam si vis, ecce modo pedibus duco vos ibi. Nam haec aqua tam grandis et tam pura, quam videtis in isto vico, de ipso fonte venit. Tunc ergo gratias ei agere coepi, et rogare, ut duceret nos ad locum, sicut et factum est. Statim ergo cepimus ire cum eo pedibus totum per vallem amenissimam, donec perveniremus usque ad hortum pomárium valde amenum, ubi ostendit nobis in medio fontem aquae optime satis et pure, quia semel integrum fluvium demittebat [4]. Habebat autem ante se ipse fons quasi lacum, ubi parebat fuisse operatum sanctum Iohannem baptistam. Tunc dixit nobis ipse sanctus presbiter: in hodie hic hortus aliter non appellatur, greco sermone, nisi copostu agiu iohanni [5] | id est quod vos dicitis latine, hortus sancti Iohannis. Nam 46
et multi fratres sancti monachi de diversis locis venientes tendunt se, ut laventur in eo loco. Denuo ergo et ad ipsum fontem, sicut et in singulis locis, facta est oratio, et lecta est ipsa lectio: dictus etiam psalmus competens: singula, et quae consuetudinis nobis erant

[1] Cod. quod ollagomor. Gen. XIV, 17.

[2] Ioann. III, 23 « Erat autem et Ioannes baptizans in Aennon (LXX et Euseb. Αἰμών) iuxta Salim: quia aquae multae erant illic ». Hieronymus in Eus. (Nom. Hebr.): « Aenon iuxta Salim, ubi baptizabat Ioannes, sicut in Evangelio cata Ioannem scriptum est: et ostenditur nunc usque locus in octavo lapide Scythopoleos ad meridiem iuxta Salim et Iordanem ».

[3] Ducentis passibus a Salim; Aenon autem duobus millibus distabat a Iordane. Anton. m. cap. IX: « In illa parte Iordanis est fons, ubi baptizabat Ioannes: inde usque ad Iordanem millia duo ».

[4] Consideratis in tabula geographica octo millibus ad meridiem Scythopoleos, et duobus ab Iordane, fons, de quo agitur, mihi videtur esse *Ain Kerum* vel *Ain Kaun* (Pierotti, *Carta della Palestina*): atque inter fontem et flumen ponendus est tum colliculus Salim, tum via publica.

[5] Copostu agiu iohanni: — κῆπος τοῦ ἁγίου Ἰοάννου.

facere, ubicumque ad loca sancta veniebamus: ita et ibi fecimus. Illud etiam presbiter sanctus dixit nobis: eo quod usque in hodierna die semper cata pascha quicumque essent baptizandi in ipso vico[1], id est in ecclesia, que appellatur opu Melchisedech, omnes in ipso fonte baptizarentur: sic redirent mature ad candelas cum clericis et monachis dicendo psalmos vel antiphonas, et sic a fonte usque ad ecclesiam sancti Melchisedech, deducerentur mature omnes, qui fuissent baptizati. Nos ergo accipientes de presbitero eulogias, id est de pomario sancti Iohannis baptistae, similiter et de sanctis monachis, qui ibi monasteria habebant in ipso horto pomario, et gratias semper Deo agentes, profecti sumus iter nostrum, quo ibamus.

Ac sic ergo euntes aliquandiu per vallem Iordanis super ripam fluminis ipsius, quia ibi nobis iter erat aliquandiu, ad subito vidimus civitatem sancti prophetae Heliae, id est Thesbe[2], unde ille habuit nomen Helias thesbites. Inibi est ergo usque in hodie spelunca, in qua sedit ipse sanctus, et ibi est memoria sancti Gethae, cuius nomen in libris Iudicum legimus[3]. Ac sic ergo et ibi gratias Deo agentes iuxta consuetudinem, perexivimus iter nostrum. Item euntes in eo itinere vidimus vallem de sinistro nobis venientem amenissimam, quae vallis erat ingens mittens torrentem in Iordanem infinitum: et ibi in ipsa valle vidimus monasterium cuiusdam fratris nunc id est monachi. Tunc ergo ego, ut sum satis curiosa, requirere cepi, quae esset haec vallis, ubi sanctus monachus nunc monasterium sibi fecisset: non enim putabam hoc sine causa esse. Tunc dixerunt nobis sancti, qui nobiscum iter faciebant, id est loci notores: haec est vallis Corra[4], ubi sedit sanctus Helias

[1] Tempore paschali, die sabbato sancto, ex veteri more Ecclesiae, catechumeni necessariis fidei capitibus informati baptizabantur.

[2] Vidit civitatem Thesben trans Iordanem in regione Galaad (III Reg. 17, 1) non longe, ut ex ipsa narratione constat, a Salim.

[3] Memoria, id est sepulcrum, sancti Gethae: cuius nominis ne vestigium quidem in libro Iudicum, neque in ceteris libris sanctis reperitur. De Gedeon arbitrari non possumus, quum sepultus esset in Ephrata (Iudic. VIII, 33): sed potius de Iephte putandum est, qui « mortuus est et sepultus in civitate sua Galaad » (Iud. XII, 7). Galaad quidem non fuit civitas sed regio; Thesbe autem, de qua agitur, civitas in regione Galaad. Adde quod in Florilegio edito ex Cod. Casinensi saec. IX-X (Bibl. Casin. I, pag. 94) scriptum est: « Iethe iudex Israel » pro Iephte.

[4] Chorra torrens (hebr. *Carith*), de quo Elias aquam bibebat (Reg. III, 17, v. 4). Euseb. in v. Χορράθ, et Hieronym. « Chorath torrens trans Iordanem, in quo abscon-

thesbites temporibus Achab regis, quando famis fuit, et iusso Dei corvi escam portabant, et de eo torrente aquam bibebat. Nam hic torrens, quem vides de ipsa valle percurrentem in Iordanem, hic est Corra. Ac sic ergo nichilominus Deo gratias agentes, qui nobis non merentibus singula quae desiderabamus dignabatur ostendere: itaque ergo ire cepimus iter nostrum, sicut singulis diebus. Ac sic ergo facientes iter singulis diebus ad subito de latere sinistro, unde e contra partes Fenicis videbámus, apparuit nobis mons[1] ingens et altus infinitum, qui tendebatur in longo

Unum folium sive duae pagellae discissae sunt.

| [2] qui sanctus monachus vir ascitis necesse habuit post tot annos, 47
quibus sedebat in heremum, movere se, et descendere ad civitatem Carneas, ut commoneret episcopum vel clericos temporis ipsius, iuxta quod ei fuerat revelatum, ut foderent in eo loco, qui ei fuerat ostensus, sicut et factum est. Qui fodientes in eo loco, qui ostensus fuerat, invenerunt speluncam, quam sequentes fuerunt forsitan per passus centum, quo et subito fodientibus illis adparuit lapis: quem lapidem cum perdiscoperuissent, invenerunt sculptum in coperculo

ditus est Elias, e regione eiusdem fluminis ». Χοράτ appellatur ab Epiphanio (Adv. Haeres. l. II, p. 593, ed. Petavii). Neminem fugerit gravem difficultatem hic subire. Si sequamur Eusebium, Chorra trans Iordanem poneremus; si Peregrinam, citra Iordanem. Illa enim secus Iordanis ripam ambulans septentrionem versus ad suam laevam partem vidit vallem atque torrentem, quae procul dubio sita erant inter Salim et Scythopolim. Ad nodum expediendum opportune intervenit Iosephus, qui dicit (Ant. l. XIV, c. 6; De bello I, cap. 5: cf. Cellarium Geogr. II, p. 461): Pompeium praeterita Pella et Scythopoli pervenisse Coreas, ubi tendenti in mediterranea Iudaeae est initium. Nam Pompeius, Iordanem non praetergressus, actis rebus circa Alexandreum castellum, profectus in austrum castra posuit apud Hierichuntem. Quare ex Iosephi verbis narratio Peregrinae excusationem adversus Eusebium suscipit, et declarationem; praeterea si Chorra, mittens se in Iordanem, prope Scythopolim fluebat, facile nobis esset in *Ialud* flumine illud agnoscere.

[1] Fortasse, cum Peregrina Phoenices partes contra videret, mons Tabor ei apparuit, quem sinistrorsum reliquit.

[2] Deperiit quidem propter eius folii abscissionem descriptio peregrinationis a transitu Iordanis prope mare Tiberiadis usque ad Carnaeam. Hoc tantum scimus, Peregrinam ad civitatem Carnaeam pervenisse, eique episcopum narrare, quomodo inventum fuerit sepulcrum Iob. Verum de corpore et sepulcro Iob omnia incerta sunt: credebatur olim eius corpus una cum lipsanis Tobiae et Sarae primum Romam, deinde Roma Ticinum, fuisse allatum (Bolland. m. Maius I, pag. XXVI).

ipsius, Iob: cui Iob ad tunc in eo loco facta est ista ecclesia, quam videtis. Ita tamen ut lapis cum corpore non moveretur in alio loco, sed ibi, ubi inventum fuerat, corpus positum esset, et ut corpus subter altarium lateret. Illa autem ecclesia, quam tribunus nescio qui faciebat, sic stat imperfecta usque in hodie. Ac sic ergo nos alia die mane rogávimus episcopum, ut faceret oblationem, sicut et facere dignatus est, et benedicens nos episcopus profecti sumus. Communicantes ergo, et ibi gratias agentes Deo semper, regressi sumus in Ierusolimam, iter facientes per singulas mansiones, per quas ieramus tres annos [1].

Item in nomine Dei, transacto aliquanto tempore, cum iam tres anni pleni essent, a quo in Ierusolimam venissem: visis etiam omnibus locis sanctis, ad quos orationis gratia [2] me tenderam: et ideo iam revertendi ad patriam animus esset. Volui iubente Deo et ad Mesopotamiam Siriae accedere ad visendos sanctos monachos, qui ibi plurimi et tam eximiae vitae esse dicebantur, ut vix referri possit: nec non etiam et gratia orationis ad martyrium sancti Thomae apostoli, ubi corpus illius integrum positum est, id est apud Edessam; quem se illuc missurum, postea quam in coelis ascendisset, Deus noster Iesus testatus est per epistolam, quam ad Aggarum [3] regem per Ananiam [4] cursorem [5] misit: *servatur* quoque epistola cum grandi reverentia apud Edessam civitatem, ubi et ipsud martyrium custoditur. Nam mihi credat volo affectio vestra, quoniam nullus christianorum est, qui non se tendat illuc gratia orationis: quicumque tamen usque ad loca sancta, id est in Ierusolimis accesserit: et hic locus de Ierusolima vicesima et quinta

[1] Per mansiones Palestinae peregrinata est tres annos, eundo et redeundo Hierosolymam, ut omnia viseret loca sancta.

[2] Cod. gratiam.

[3] Aggarus pro Abgarus. De eius regis ad Christum atque de Christi ad eum epistola, exagitata est perpetua notissimaque controversia: sed praeter Eusebium (H. E. l. I c. 10), qui ex tabulario urbis Edessae apographum earum excepit, nullus saeculo quarto huius rei testis nobis supererat; quapropter illud, quod in peregrinatione legimus, pretiosissimum esse videtur, etiamsi epistolis ipsis non augeat fidem.

[4] Ananias Abgari regis erat cursor tabellarius, cuius nomen in Eusebio legitur, ex quo vel ex episcopi edesseni relatione Peregrina illud desumpsit.

[5] Codex hoc in loco corruptus profert: « cursorem, misit quoque epistolam cum grandi reverentia ».

mansione [1] est. Et quoniam de Anthiocia propius est Mesopotamia [2], fuit mihi iubente Deo oportunum satis, ut quemadmodum revertebar Constantinopolim (quia per Anthiociam iter erat), inde ad Mesopotamiam irem, sicut et factum est Deo iubente.

| Itaque ergo in nomine Christi Dei nostri profecta sum de 43
Anthiocia ad Mesopotamiam, habens iter per mansiones seu civitates aliquot provinciae Siriae Celen [3], quae est Anthiociae: et inde ingressa fines provinciae Augustofratensis [4], perveni ad civitatem Gerapolim [5], quae est metropolis ipsius provinciae, id est Augustofratensis. Et quoniam haec civitas valde pulchra et opulenta est atque abundans omnibus, necesse me fuit ibi facere stativam: quoniam iam inde non longe erant fines Mesopotamiae. Itaque ergo proficiscens de Ierapoli in quintodecimo miliario [6], in nomine Dei, perveni ad fluvium Euphraten; de quo bene satis scriptum est, esse flumen magnum Euphraten, et ingens, et quasi terribilis est; ita enim decurrit habens impetum, sicut habet fluvius Rodanus, nisi quod adhuc maior est Euphrates [7]. Itaque ergo quoniam necesse erat eum navibus transire, et navibus nonnisi maioribus, ac sic immorata sum forsitan plus media die: et inde in nomine Dei transito flumine Euphraten, ingressa sum fines Mesopotamiae Siriae.

Ac sic denuo faciens iter per mansiones aliquot, perveni ad civitatem, cuius nomen in scripturis positum legimus, id est Batanis [8],

[1] Octo et decem mansiones erant ab Hierosolymis ad Antiochiam juxta Itiner. Burdig., septem autem ab Antiochia Edessam.

[2] Cod. Mesopotamiam.

[3] Coele Syria provincia inter Libanum et Antilibanum aliquando etiam Syria Coele scribitur, praesertim saeculo quarto (De Vit Onomast. ad h. v.).

[4] Augustofratensis, provincia flumine Euphrate ad orientem limitata, erat antea eadem ac Commagene regio Syriae et appellabatur Euphratensis: sed in Epitome Aur. Vict. legitur Augustophratensis.

[5] Hierapolis civitas « capacissima » (Amm. Marc. l. 23, 2; Procop. B. P. l. 2, 9), sub Constantino metropolis facta est provinciae Euphratensis (Malal. Chron. c. 13). Religione christiana augescente Hierapolis nomen antiquum Bambyces sibi vindicavit, hodie autem dicta *Karâ Bambuche* vel *Buyuk*.

[6] In tabula Peutingeriana notantur millia XXIV. Iuxta Anthemusiam in Mesopotamia, cuius in territorio Bathnae sitae erant (Amm. Marc. XIV, 3, 3), Euphrates traiiciebatur tempore Strabonis (l. XX, p. 74).

[7] Ex hac comparatione fluminis Euphratis cum Rhodano colligere licet Peregrinam ex Gallia esse profectam, atque ad venerabiles dominas in monasterio apud Rhodanum degentes scripta sua mittere constituisse.

[8] Batanis, Bathnae in Osdroëna, quae et Batnis in Tab. Peut. Male hic Pe-

quae civitas usque in hodie est. Nam et ecclesia cum episcopo vere sancto et monacho et confessore [1] habet, et martyria aliquanta. Ipsa etiam civitas abundans multitudine hominum est [2]: nam et miles ibi sedet cum tribuno suo. Unde denuo proficiscens, pervenimus in nomine Christi Dei nostri Edessam: ubi cum pervenissemus, statim perreximus ad ecclesiam et ad martyrium sancti Thomae [3]. Itaque ergo iuxta consuetudinem factis orationibus, et cetera quae consuetudo erat fieri in locis sanctis: nec non etiam et aliquanta ipsius sancti Thomae ibi legimus [4]. Ecclesia autem ibi, quae est ingens et valde pulchra et nova dispositione, ut vere digna est esse domus Dei; [5] et quoniam multa erant, quae ibi desiderabam videre, necesse me fuit ibi stativa triduana facere. Ac sic ergo vidi in eadem civitatem martyria plurima; nec non et sanctos monachos commanentes, alios per martyria, alios longius de civitate in secretioribus locis habentes monasteria. Et quoniam sanctus episcopus ipsius civitatis, vir vere religiosus etiam monachus, et confessor [6], suscipiens

regrina civitatem Bathnas cum regione Batanaeae vel Basan miscet, similitudine nominis in errorem delapsa. Bathnae quidem millibus quinque ab Euphrate dissitae erant, quod a Hierapoli millia XXI distabant (Itin. Anton. p. 191). « Batne... ab Euphrate flumine brevi spatio disparatur » (Amm. Marc. XIV, 3, 3).

[1] Eo tempore officio episcopi Bathnarum fungebatur Abraamius, qui multa pertulit sub Valente, ideo confessor nominatur; praeterea monachum ante fuisse quam episcopum nunc comperimus. Extant ad eum Basilii epistolae duae (315 et 326). Cf. Le Queen *Or. Christ.* II p. 971. Tillemont, *Mémoires pour l'Hist. Eccl.* VI, p. 577.

[2] Amm. Marc. XIV, 2, 3: « Refertum mercatoribus opulentis. »

[3] Edessa urbs provinciae Osdroënae uno die disiuncta a Bathnis (Procop. B. Pers. II, 12): ibi corpus sancti Thomae maxime colebatur, adque eius honorem ecclesia insignis aedificata erat atque sacrata. Distinguit Peregrina ecclesiam a martyrio sancti Thomae, nam, aliquanto post eius adventum, anno 394 translatum est sepulcrum in ecclesiam a Cyro episcopo (Chron. Edess. ed. ab Assemanno Bibl. Orient. I p. 399): ante igitur eum annum accidit ejus peregrinatio.

[4] Aliquanta in manus habuit ex Actis sancti Thomae, quae apocripha sub ejus apostoli nomine tunc vulgabantur.

[5] De ecclesia edessena ita Socrates (Hist. Eccl. l. IV, c. 18): « In ea urbe illustris ac splendida est Basilica Thomae apostoli, in qua propter loci sanctitatem collectae sine intermissione celebrantur ». Narrat idem protinus Valentem imperatorem, cum propter illius pulchritudinem anno 372 (eo enim tempore erat renovata), eam videndam cupivisset, catholicos e loco eiici et arceri iussisse. Ea ecclesia, quando Peregrina iter fecit, exstructa erat *nova dispositione:* quae res ad Valentis tempus proprius accedit, id est paulo post ejus mortem, ut ex aliis argumentis oportet deducere.

[6] De Eulogio episcopo Edessae hic agitur, qui persecutus est a Valente, et in Antinoo civitate Aegypti relegatus; unde confessor nominatur. In Martyr.

me libenter ait mihi: quoniam video te, filia, gratia religionis tam magnum laborem tibi imposuisse, ut de extremis porro terris venires ad haec loca [1]: itaque ergo, | si libenter habes, quecumque loca 49
sunt hic grata ad videndum christianis, ostendimus tibi. Tunc ergo gratias agens Deo primum, et sic ipsum rogavi plurimum, ut dignaretur facere, quod dicebat. Itaque ergo duxit me primum ad palatium Aggari regis: [2] et ibi ostendit michi archiotepam [3] ipsius ingens simillimam, ut ipsi dicebant, marmoream tanti nitoris, ac si de margarita esset: in cuius Aggari vultu parebat de contra vere fuisse hunc virum satis sapientem et honoratum. Tunc ait mihi sanctus episcopus: ecce rex Aggarus, qui antequam videret Dominum credidit ei, quia esset vere filius Dei [4]. Nam erat et iuxta archiotipa similiter de tali marmore facta, quam dixi filii ipsius esse Magni, similiter et ipsa habens aliquid gratiae in vultu [5]. Item perintravimus in interiore parte palatii: et ibi erant fontes piscibus pleni, quale ego adhuc nunquam vidi, id est tantae magnitudinis [6], et vel tam perlustres, aut tam boni saporis. Nam ipsa civitas aliam aquam penitus non habet nunc, nisi eam, quae de palatio exit, quae est

Rom. legitur: « Edessae in Syria S. Eulogii episcopi et confessoris ». Acta ejus ex Theodoreto desumpta (Bolland. 5 Maii, t. II, p. 10) silent eum fuisse monachum, antequam factus est episcopus. Obiit anno 698 epochae Edessenae, qui anno aer. vulg. 387-388 respondet: ei Cyrus successit (Chr. Edess. in Assemanno *Bibl. Or.* II p. 399).

[1] Bene episcopus Edessae, cum Peregrinae novisset originem et iter, Galliam extremas terras dixit.

[2] Duo erant regalia Edessae palatia, unum quod vocabatur maius, e quo fontes aquarum satis abunde scatebant, alterum ab Abgaro in oppido suo aedificatum anno quingentesimo decimo septimo epochae edessenae (204-205 p. Chr.) Chronic. edess. II, p. 390 et 393.

[3] Archetypum, seu antiqua et fidelis Abgari imago ex onyche vel alabastrite efficta. *Ingens* in cod. pro *valde*. Item legimus in pagella prima huius peregrinationis: « faciebant vallem infinitam ingens ».

[4] De Abgaro rege Oshroënae, qui Christi tempore vixit, aliquot testimonia extant antiqua: Tac. Ann. l. XII, c. 3; Ioseph. Antiq. l. XX, c. 2; Euseb. H. E. l. I, cap. 13. Cf. Tillemont *Mem.* I, p. 361.

[5] Exhibent nummi Edessae cusi icones regum tum Abgari, tum Manni, vel Maani (Magni in cod.) a tempore Hadriani usque ad Gordianum: e quibus nummis unus, aetate Commodi, Abgari et Manni filii vultum exhibet (Visconti *Icon. Greca*, t. III, tav. 2), depromptum fortasse ex ipsis statuis iconicis, quae usque ad Peregrinae tempus in palatio visebantur.

[6] Civitas Edessa ita nominata ab aquarum vi, ut e Steph. Byz. διὰ τὴν τῶν ὑδάτων ῥύμην οὕτω κληθεῖσα. Plin. H. Nat. l. V, 21: « Edessam, quae quondam

ac si fluvius ingens argenteus. Et tunc retulit michi de ipsa aqua sic sanctus episcopus dicens: quodam tempore, posteaquam scripserat Aggarus rex ad Dominum, et Dominus rescripserat Aggaro per Ananiam cursorem, sicut scriptum est in ipsa epistola: transacto ergo aliquanto tempore, superveniunt Persi, et girant civitatem istam. Sed statim Aggarus epistolam Domini ferens ad portam, cum omni exercitu suo publice oravit. Et post dixit: Domine Iesu, tu promiseras nobis, ne aliquis hostium ingrederetur civitatem istam [1]: et ecce nunc Persae impugnant nos. Quod cum dixisset, tenens manibus levatis epistolam ipsam apertam rex, ad subito tantae tenebrae factae sunt foras civitatem, tamen ante oculos Persarum, cum iam prope plicarent civitati, ita ut usque tertium miliarium de civitate essent: sed ita mox tenebris turbati sunt, ut vix castra ponerent, et pergirarent in miliario tertio totam civitatem. Ita [2] autem turbati sunt Persae, ut numquam viderent postea, qua parte in civitatem ingrederentur; sed custodirent civitatem per giro clusam hostibus in miliario tamen tertio, quam tamen custodierunt mensibus aliquod. Postmodum autem, cum viderent se nullo modo posse ingredi in civitatem, voluerunt siti eos occidere, qui in civitate erant. Nam monticulum istum, quem vides, filia, su-
50 per civitate hac, in illo tempore ipse huic | civitati aquam ministrabat. Tunc videntes hoc Persae averterunt ipsam aquam a civitate, et fecerunt ei decursum contra ipso loco, ubi ipsi castra posita habebant. In ea ergo die, et in ea hora, qua averterant Persae aquam, statim hii fontes, quos vides in eo loco, iusso Dei a semet [3] eruperunt: ex ea die hi fontes usque in hodie permanent hic gratia Dei. Illa autem aqua, quam Persae averterant, ita siccata est in ea

Antiochia dicebatur, Callirohen a fonte nominatam ». Et in Chron. Edess. legimus: « Anno quingentesimo tertio decimo imperante Severo (ann. 202-203) sub Abgaro filio Maani rege, mense novembri, fons qui ex maiori Abgari magni palatio erumpit, iuxta morem exundavit, latissima in omnes partes alluvione, adeo ut atria, porticus, et aedes regias invaderet ».

[1] De promissione Christi in epistola ad Abgarum missa, Edessam numquam in hostium potestatem venturam, nullum in apographo, quod sumpsit Eusebius, est vestigium: verum ejusmodi promissionem memorant S. Ephrem Op. I p. 362, Darius comes in ep. ad August. (ep. 362). Eadem Procopius (B. Pers. l. II, c. 12), minime tamen credulus, narrat, cum sua aetate Edessa a Persis obsidione premeretur. Ex Procopio autem Evagrius H. E. l. IV, c. 27.

[2] Cod. *Ita tamen autem*, sed *tamen* est lineis expunctum.

[3] Cod. *a semel.*

hora, ut nec ipsi haberent vel una die quod biberent, qui obsidebant civitatem, sicut tamen et usque in hodie apparet: nam postea nunquam nec qualiscumque humor ibi apparuit usque in hodie. Ac sic iubente Deo, qui hoc promiserat futurum, necesse fuit eos statim reverti ad sua, id est in Persida [1]. Nam et postmodum quotienscumque voluerunt venire et expugnare hanc civitatem hostes, haec epistola prolata est, et lecta est in porta, et statim nutu Dei expulsi sunt omnes hostes. Illud etiam retulit sanctus episcopus, eo quod hii fontes ubi e rupe ierunt, ante sic fuerit campus intra civitatem, subiacens palatio Aggari. Quod palatium Aggari quasi in editiori loco positum erat, sicut et nunc paret, ut vides. Nam consuetudo talis erat in illo tempore, ut palatia, quotiensque fabricabantur, semper in editioribus locis fierent [2]. Sed postmodum quam hii fontes in eo loco eruperunt, tunc ipse Aggarus filio suo Magno, id est isti, cuius archiotipa vides iuxta parte posita, hoc palatium fecit in eo loco: ita tamen ut hii fontes intra palatium includerentur. Postea ergo quam haec omnia retulit sanctus episcopus, ait ad me: eamus nunc ad portam, per quam ingressus est Ananias cursor cum illa epistola, quam dixeram. Cum ergo venissemus ad portam ipsam [3], stans episcopus fecit orationem, et legit nobis ibi ipsas epistolas, et denuo benedicens nos, facta est iterata oratio. Illud etiam retulit nobis sanctus ipse dicens: Eo quod ex ea die, qua Ananias cursor per ipsam portam ingressus est cum epistola Domini, usque in praesentem diem custodiatur, ne quis immundus, ne quis lugubris, per ipsam portam transeat; sed nec corpus alicuius mortui eiciatur per ipsam portam. Ostendit etiam nobis sanctus episcopus memoriam Aggari,

[1] Nulla nobis ab antiquis tradita est memoria huiusmodi obsessionis, quae Peregrinae ab episcopo Edessae hic narratur.

[2] Sicut adnotavimus, duo fuerunt regia palatia, unum maius in quo fontes erant, alterum quod anno 517 (206 p. Chr.) « Abgarus in oppido suo aedificavit » (Chr. edess. p. 393). Narratio tamen Peregrinae non bene congruit cum chronico; nam ex episcopi relatione vetus palatium constitutum esse videtur in editiore loco, seu in oppido, novum autem subter illud, qua fontes eruperunt.

[3] Eusebius ex archiis publicis epistolam Christi exemplavit, quam, ut supra audivimus, ad portam tempore obsidionis episcopus afferebat: anno peregrinationis Edesseni in porta ipsa custodiebant, ibique pro patriae munimento aetate Procopii (B. P. l. XI c. 12) servabant. Translata ergo epistola fuit ex archiis ad portam, tempore Constantii, cum Sapor Persarum rex iterata incursione Mesopotamiam invasit.

vel totius familiae ipsius, valde pulchra, sed facta more antiquo [1]. Duxit etiam nos et ad illum palatium superiorem, quod habuerat primitus rex Aggarus: et si qua preterea loca erant, monstravit nobis. Illud etiam satis mihi grato fuit, ut epistolas ipsas sive Aggari ad Dominum, sive Domini ad Aggarum, quas nobis ibi legerat sanctus episcopus, acciperem mihi ab ipso sancto. Et licet in patria exemplaria ipsarum haberem, tamen gratius mihi visum est, ut et
51 ibi eas de | ipso acciperem, ne quid forsitan minus ad nos in patria pervenisset: nam vere amplius est, quod hic accepi [2]. Unde si Deus noster Iesus iusserit, et venero in patriam, legam eas vobis, dominae animae meae [3].

Ac sic ergo facto ibi triduano, necesse me fuit adhuc in ante accedere usque ad Charras [4] quia modo sic dicitur. Nam in scripturis sanctis dicta est Charra, ubi moratus est sanctus Abraam, sicut scriptum est in Genesi dicente Domino Abraam: " exi de terra tua et de domo patris tui, et vade in Charram [5] „ et reliqua. Ergo cum venissem, id est in Charra, ibi statim fui ad ecclesiam, quae est intra civitate ipsa, vidi etiam mox episcopum loci ipsius, vere sanctum et hominem Dei, et ipsum et monachum et confessorem [6]; qui mox nobis omnia loca ibi ostendere dignatus est, quae desidera-

[1] Sepulcrum Aggari eiusque familiae prope portam extructum, ut antiquitus erat mos. In Chron. edess. haec habemus (p. 389): « Anno quadrigentesimo (a. 89 p. Chr.) aedificavit sibi Abgarus rex mausolaeum ».

[2] Epistolarum exemplaria, quae Peregrina in patria acceperat, profecto ex historia eusebiana (nondum a Rufino Aquileiensi in latinum translata) deprompta erant, in quibus, ut superius diximus, promissum Christi deerat pro Edessae incolumitate.

[3] Cod. « unde si Deus noster Iesus iusserit, et venero, in patria legi si vos dominae animae meae ».

[4] Sic cod. cum aspirationis nota in v. Charris superposita ab amanuense, itidem in *Charra* sequenti, postea numquam relicta: quod derivatur ex graeca versione Χαῤῥάν, cuius nomen graece Χάρραι et latine *Carrae* scriptum est. Urbs Mesopotamiae ad orientem Edessae, quare Peregrina dixit *in ante* accedere usque ad Charras, id est orientem versus. Ibi habitavit et mortuus est Thare pater Abraham (Gen. XI, 31, 32): ibi, cum Abraham decessisset, remansit familia Labani.

[5] Locus scripturae (Gen. XII, v. 1) hic male adducitur et interpolatur: nam Abraham jussus est a Domino de Haran vel Charran exire post mortem Thare patris sui.

[6] Anno 371 Vitum episcopum Charrarum fuisse et ante munus episcopale vitam monasticam coluisse scimus (Sozom. H. l. V, c. 33). Mortuo Valente (a. 378) Protogenes Edessenae ecclesiae presbyter, post exilium pro fide perpessum re-

bamus. Nam duxit nos statim ad ecclesiam, quae est foras civitatem in eo loco, ubi fuit domus sancti Abrahae, id est in ipsis fundamentis, et de ipso lapide, ut tamen dicebat sanctus episcopus. Cum ergo venissemus in ipsa ecclesia, facta est oratio, et lectus ipse locus de Genesi: dictus est etiam unus psalmus, et iterata oratione: et sic benedicens nos episcopus, egressi sumus foras. Item dignatus est nos ducere ad puteum illum, unde portabat aquam sancta Rebeccha. Et ait nobis sanctus episcopus: ecce puteus, unde potavit sancta Rebecca camelos pueri sancti Abrahae, id est Eleazari[1]; et singula ita nobis dignabatur ostendere. Nam ecclesia, quam dixi foras civitatem, dominae sorores venerabiles, ubi fuit primitus domus Abrahae, nunc et martyrium ibi positum est, id est sancti cuiusdam monachi nomine Helpidii. Hoc autem nobis satis gratum evenit, ut pridie martyrium die ibi veniremus, id est sancti ipsius Helpidii, nono kal. maias[2]: ad quam diem necesse fuit undique et de omnibus Mesopotamiae finibus omnes monachos in Charra descendere, etiam et illos maiores, qui in solitudine sedebant, quos ascites vocant, per diem ipsum, qui ibi satis granditer[3] attenditur, et propter memoriam sancti Abrahae, quia domus ipsius fuit, ubi nunc ecclesia est, in qua positum est corpus ipsius sancti martyris. Itaque ergo hoc nobis ultra spem grate satis evenit, ut sanctos et vere homines Dei monachos mesopotamenos ibi videremus: etiam et eos, quorum fama vel vita longe audiebatur, quos tamen non estimabam me penitus posse videre. Non quia inpossibile esset Deo etiam et hoc prestare michi, qui omnia prestare dignabatur; sed quia audieram eos, eo quod extra diem paschae, et extra diem hanc, non eos descendere de locis suis: quoniam tales sunt, ut et virtutes faciant multas, et quoniam nesciebam, quo mense | esset dies hic 52

versus in patriam, Vito successit, et urbem veteris superstitionis cultu late inquinatam expurgare maxime studuit (Theodor. H. R. c. 17). Uter Peregrinam exceperit, incertum est.

[1] Nomen servi, quem misit Abraham, scriptura non refert (Gen. XXIV, 2). Tantummodo ex villici officio, quo ille apud dominum suum fungebatur, Peregrina non immerito coniecit nomen ei fuisse Eleazari.

[2] Neque in toto opere Bollandiano, neque in latinis graecisque hagiographis, neque in syriacis kalendariis nomen vel vestigium repperi sancti Helpidii monachi et confessoris, cuius festum in diem nonum Kal. maias incidebat.

[3] Cod. *grandi iter.*

martyrii, quem dixi. Itaque Deo iubente sic evenit, ut ad diem, quem nec sperabam, ibi venirem. Fecimus ergo et ibi biduum propter diem martyrii, et propter visionem sanctorum illorum, qui dignati sunt ad salutandum libenti satis animo me suscipere et alloqui, in quo ego non merebar. Nam et ipsi statim post martyrum diem nec visi sunt ibi, sed mox de nocte petierunt heremum, et unusquisque eorum monasteria sua, quae sibi habebat. In ipsa autem civitate [1] extra paucos clericos et sanctos monachos, si qui tamen in civitate commorantur, penitus nullum christianum inveni, sed totum gentes sunt [2]. Nam sicut nos cum grandi reverentia attendimus locum illum, ubi primitus domus sancti Abrahae fuit, pro memoria illius, ita et illae gentes forte ad mille passus de civitate cum grandi reverentia adtendunt locum, ubi sunt memoriae Naor et Bathuhelis [3]. Et quoniam episcopus illius civitatis valde instructus et de scripturis requisivi ab eo dicens: rogo te, domine, ut dicas michi, quod desidero audire. Et ille ait: dic filia, quod vis, et dicam tibi, si scio. Tunc ego dixi: sanctum Abraam cum patre Thara et Sarra uxore et Loth fratris filio scio per scripturas in eo loco venisse; Naor autem vel Bathuhelem non legi, quando in isto loco transierint: nisi quod hoc solum scio, quia postmodum puer Abrae, ut peteret Rebeccam filiam Bathuhelis filii Nahor filio domini sui Abrae id est Ysaac in Charra venerit. Tunc ait michi sanctus episcopus: vere, filia, scriptum est, sicut dicis, in Genesi sanctum Abraam hic transisse cum suis: Nachor autem cum suis vel Bathuhelem non dicit scriptura canonis, quo tempore transierint. Sed manifeste postmodum hic transierunt et ipsi, denique et memoriae illorum hic sunt forte ad mille passus de civitate. Nam vere scriptura hoc testatur, quoniam ad accipiendam sanctam Rebeccam huc venerit puer sancti Abrae, et denuo sanctus Iacob hic venerit, quando accepit filias Laban syri. Tunc ego requisivi, ubi esset puteus ille, ubi sanctus Iacob potasset pecora, quae pascebat Rachel filia Laban siri [4]. Et ait michi episcopus: in sexto miliario est hinc locus ipse iuxta vicum, qui fuit tunc villa Laban

[1] Cod. *civitatem*.

[2] Charreni etiam tempore Chosrois (a. 530) plerique non erant Christiani, sed idololatrae (Proc. B. Pers. I, cap. 13).

[3] Sepulcra Nachor (cod. Naor) et Bathuelis in Haran, ubi morati sunt (Gen. XXII, et XXIX).

[4] Gen. XXIX, v. 2 et seqq.

siri: sed cum volueris ire, imus tecum, et ostendimus tibi, nam et multi monachi ibi sunt valde sancti, et ascites, et sancta ecclesia est ibi. Illud etiam requisivi a sancto episcopo, ubinam esset locus ille Chaldeorum, ubi habitaverant primo Thara cum suis. Tunc | 53
ait michi ipse sanctus episcopus: locus ille, filia, quem requiris, decima mansione est hinc, intus in Persida. Nam hinc usque ad Nibisin mansiones sunt quinque; et inde usque ad Hur, quae fuit civitas Chaldeorum, aliae mansiones sunt quinque: sed modo ibi accessus Romanorum non est; totum enim illud Persae tenent. Haec autem pars specialiter orientalis appellatur, quae est in confinium Romanorum et Persarum, vel Chaldeorum [1]. Et cetera plura referre dignatus est, sicut et ceteri sancti episcopi vel sancti monachi facere dignabantur, omnia tamen de scripturis Dei vel a sanctis viris gesta, id est monachis, sive qui iam recesserant, quae mirabilia fecerint, sive etiam qui adhuc in corpore sunt, quae cotidie faciant, hi tamen, qui sunt ascites. Nam nolo estimet affectio vestra, monachorum aliquando aliquando [2] alias fabulas esse, nisi aut de scripturis Dei, aut gesta monachorum maiorum.

Post biduo autem quam ibi feceram, duxit nos episcopus ad puteum illum, ubi adaquaverat sanctus Iacob pecora sanctae Rachel; qui puteus sexto miliario est a Charris: in cuius putei honorem fabricata est ibi iuxta sancta ecclesia ingens valde et pulchra. Ad quem puteum cum venissemus, facta est ab episcopo oratio: lectus etiam locus ipse de Genesi: dictus etiam unus psalmus competens loco: atque iterata oratione benedixit nos epi-

[1] Constat ex his verbis episcopi Charrarum Nisibin totamque regionem orientalem citra Tigrim in Persarum dominium redactam atque novos imperii fines constitutos esse propter pactionem ab Ioviano cum eis indigne confectam. Quare peregrinationem aliquanto post hoc tempus (a. 363 p. Chr.) evenisse perspectum habemus. Nisibis urbs magna Mesopotamiae et propugnaculum romanae maiestatis biduo a flumine Tigri distabat: Ur oppidum quidem ad austrum Nisibis, itemque ad dextram Tigris, positum erat. Nam, ut Ammianus Marcellinus narrat (l. XXV, c. 8), exercitus, in quo ipse militabat, fame maximisque laboribus post Iuliani mortem prope consumptus, cum Tigri iam rursus traiecto Mesopotamiam superiorem peteret, ad Ur nomine persicum venit castellum: postea Thilsaphata, deinde Nisibin attigit. Quare via inter Nisibin et Ur vere fuit; Thilsaphata una ex quinque mansionibus eiusdem itineris ab episcopo memoratis credenda est.

[2] Iterata est vox *aliquando*; fortasse supplendum: *monachorum (dicta) aliquando (veracia), aliquando (mer)as fabulas esse; (nihil referebant) nisi* etc.

scopus. Vidimus etiam locum iuxta puteum iacentem [1] lapidem illum infinitum nimis, quem moverat sanctus Iacob a puteo, qui usque hodie ostenditur. Ibi autem circa puteo nulli alii commanent, nisi clerici de ipsa ecclesia, quae ibi est, et monachi habentes iuxta monasteria sua: quorum vitam sanctus episcopus nobis retulit, sed vere inauditam [2]. Ac sic ergo facta oratione in ecclesia, accessi cum episcopo ad sanctos monachos per monasteria ipsorum, et Deo gratias agens et ipsis, qui dignati sunt me per monasteria sua, ubicumque ingressa sum, libenti animo suscipere, et alloqui illis sermonibus, quos dignum erat de ore illorum procedere. Nam et eulogias dignati sunt dare michi et omnibus, qui mecum erant [3], sicut est consuetudo monachis dare, his tamen, quos libenti animo suscipiunt in monasteriis suis. Et quoniam ipse locus in campo grandi est, de contra ostensus est mihi a sancto episcopo vicus ingens satis, forte ad quingentos passos de puteo, per quem vicum iter habuimus. Hic autem vicus, quantum episcopus dicebat, fuit quondam villa Laban siri: qui vicus appellatur Fadana [4]. Nam ostensa est michi in
54 ipso vico memoria Laban siri, | soceri Iacob: ostensus est etiam michi locus, unde furata est Rachel idola patris sui [5]. Ac sic ergo in nomine Dei pervisis omnibus, faciens vale sancto episcopo et sanctis monachis, qui nos usque ad illum locum deducere dignati fuerant, regressi sumus per iter vel mansiones, quas veneramus de Anthiocia.

Anthiocia autem cum fuissem regressa, feci postmodum septimana, quousque ea, quae necessaria erant itineri, pararentur. Et sic proficiscens de Anthiocia, faciens iter per mansiones aliquot, perveni ad provinciam, quae Cilicia appellatur, quae habet

[1] Cod. *iacente*.

[2] Monachi mesopotameni ita asperam horridamque supra fidem vitam agebant, ut de eorum poenitentiis virtutibusque mirabilia narrarentur. Vide Sozomenum H. l. VI, c. 33 et 34; Tillemont, *Memoires* t. VIII, pag. 294 in S. Ephrem.

[3] Fortasse inter comites Peregrinae erat ille Rufinus Aquileiensis, qui in historia ecclesiastica (H. E. l. XI, cap. 8), cum virtutes monachorum Thebaidis et Mesopotamiae narrasset, haec addidit verba: « quos ipsi per nos apud Edessam et in Charrarum partibus vidimus, vel auditione didicimus ».

[4] Haec Sozomenus (H. l. VI, c. 33) scribit: « Aones (monachus) domicilium habuit in Phadana (ἐν Φαδανᾷ), quo in loco Iacob Abrahami nepos ex Palestina veniens, puellam offendit, quam postea duxit uxorem: amotoque lapide, quo opertum erat os putei, primum illius gregem ibi aquavit ».

[5] Gen. XXXI, v. 19.

civitatem metropolim Tharso [1], ubi quidem Tharso et eundo Ierusolimam iam fueram. Sed quoniam de Tharso tertia mansione, id est in Hisauria, est martyrium santae Teclae [2], gratum fuit satis, ut etiam illuc accederem, presertim cum tam in proximo esset.

Nam proficiscens de Tharso perveni ad quandam civitatem supra mare Ciliciae, quae appellatur Pompeiopolim [3]. Et inde iam ingressa fines Hisauriae, mansi in civitate, quae appellatur Corico [4]: ac tertia die perveni ad civitatem, quae appellatur Seleucia Hisauriae [5]. Ubi cum pervenissem fui ad episcopum vere santum ex monacho [6]: vidi etiam ibi ecclesiam valde pulchram in eadem civitate. Et quoniam inde ad sanctam ecclesiam [7], qui locus est ultra civitatem in colle sed plano, habebat de civitate forsitan mille quingentos

[1] Itinerarium, quod burdigalense vocatur, secuta ab Antiochia, decem mansionibus peractis, Tarsum metropolim Ciliciae campestris pervenit. Cf. Marquardt, *roemische Staatsverwaltung I* p. 389 (ed. 2).

[2] Martyrium sanctae Teclae protomartyris in Seleucia metropoli Isauriae, ad quod colendum frequentes concurrebant christiani. Gretser, *De sacris peregrin.* l. II, c. 20.

[3] Sic cod. Pompeiopolis *adhuc* Ciliciae, quod civitas ipsa non procul a finibus Ciliciae et Isauriae flumine Latmo constitutis posita erat, antea Solis cognominata, postea a Pompeio Magno nomen accepit, qui eam solo aequatam restituit (Strab. l. XIV, p. 671, Pomp. Mela I. 13, et alii). Xenophon quoque urbem maritimam esse memorat (Anab. I, c. 24). Locum, hodie *Mezetlu* vocitatum ab incolis, et antiquitatis vestigia, praesertim vero porticum ornatam ducentis columnis, quarum duae et quadraginta supersunt erectae, descripsit Beaufort (*Karamania* p. 261, et seqq.).

[4] Corycus (cod. Coricus), iuxta mare sita, inter civitates Ciciliae recensetur (Plin. H. N. l. V, c. 22, Pomp. Mela I, c. 13, 2), sed peregrinationis tempore totam Ciliciam Tracheam vel Asperam Isauria complectebatur, et secus mare porrigebatur (Amm. Marc. l. XIV, 8. Steph. Byz. ad a. Τραχεῖα). Limites Isauriae saeculo quarto labente antehac incertos nunc ad australem partem cognoscere licet, quos Corycus promontorium et civitas eodem distincta nomine definiebant.

[5] Seleucia ad Calycadnum saec. IV Isauriae adtributa erat. Amm. Marc. XIV, 8: « Hanc quidem (Isauriam) praeter oppida multa duae civitates exornant, Seleucia, opus Seleuci regis, et Claudiopolis ». Epiphanius *Haer.* LXXIII, 23: « In Seleucia, quae Trachea vocatur, in Isauria ». Theodoretus, H. E. II, c. 26. « Urbs haec Isauriae ad mare posita ». Etiam Sozomenus, IV, c. 16. Nunc in loco, qui *Seleflkich* appellatur, extant plurima antiqua rudera, documentum pristinae nobilitatis.

[6] Seleuciae episcopus, qui huius peregrinationis tempore vixit, fuisse videtur Maximus, qui Samo *viro divino* successit. Is fuit S. Ioannis Chrysostomi discipulus et monasticae vitae socius, ut refert Socrates Hist. l. VI, c. 2. Sozomenus, VIII, c. 3. Cf. Le Queen Or. Christ. II, p. 1013.

[7] Ecclesia sanctae Teclae dicata, ubi eius corpus quiescebat, in monte civitati proximo adeuntium frequentia celebris erat. Basilius in vita S. Teclae (l. I in fine)

passus; malui ergo perexire illuc, ut stativam, quam factura eram, ibi facerem. Ibi cum ad sanctam ecclesiam *pervenissem*, nihil aliundem *vidi* nisi monasteria [1] sine numero virorum ac mulierum. Nam inveni ibi aliquam amicissimam michi, et cui omnes in oriente testimonium ferebant vitae ipsius, sancta diaconissa nomine Marthana [2], quam ego apud Ierusolimam noveram, ubi illa gratia orationis ascenderat: haec autem monasteria apudactitum [3] seu virginum regebat. Quae me cum vidisset, quod gaudium illius vel meum esse potuerit? numquid vel scribere possum? Sed ut redeam ad rem, monasteria ergo plurima sunt ibi per ipsum collem, et in medio murus ingens, qui includit ecclesiam, in qua est martyrium; quod martyrium satis pulchrum est. Propterea autem murus missus est ad custodiendam ecclesiam propter Hisauros [4], quia satis mali sunt, et frequenter latrunculantur, ne forte conentur aliquid facere circa monasterium, quod est ibi deputatum. Ibi ergo cum venissem in nomine Dei, facta oratione ad martyrium, nec non etiam et lectus omnis actus sanctae Teclae [5], gratias Domino nostro egi infinitas; qui mihi dignatus est indignae et non merenti
55 in omnibus desideria complere. Ac sic ergo facto ibi biduo | visis etiam sanctis monachis, vel aputactites [6], tam viris quam feminis,

de eo colle loquitur: « verticem montis vicinum, qui ad meridiem adsurgit, occupans ». Simeon Metaphr. in vita eiusdem: « unum miliare ab urbe discedit.... montem conscendit, cui Calamon sive Rhodion nomen erat ».

[1] Cod. *Ibi cum ad sanctam ecclesiam nihil aliundem nisi monasteria.*

[2] De sancta diaconissa Marthana, quae in civitate Seleuciae monasterium s. Teclae regebat, nulla ab hagiographis graecis et latinis, nulla a scriptoribus praeter Basilium Seleuciae episcopum, qui floruit anno 440, facta est mentio. Is Basilius, postquam de monasterio verba fecit, feminas, quae vestigiis S. Teclae insterunt, ut maxima dignas laude memoravit, ex quibus primam Marthanam dicens: « nec feminas praetereamus, Marthanam (Μαρθάναν), Xenarchidem, Dionysiam illam, Susannem, ceterasque ». Cum Marthana in catalogo Basilii prima occurrat, ceterae fortasse post illam per vices officio regiminis functae sunt, quarum non modo gesta, sed nomina etiam ignoraremus, nisi ea Basilius commemorasset.

[3] Lege: *apotactitum*, vide infra adnot. 6.

[4] Isauri natura et arte praedones romano imperio semper infesti, quamvis domiti. Sub Constantio et Valente in finitimas regiones incursiones fecere, verum postea regnante Theodosio ab irruptionibus parumper videntur abstinuisse. Cf. Tillemont, *Hist. des Emp.* T. V, p. 90, 105, 475.

[5] Acta S. Teclae ab ecclesia ut apocrypha improbantur.

[6] Aputactites, apotactitae, gr. ἀποτακτῖται, qui omni carnium genere vinoque abstinebant, mirandum poenitentiae exemplum hominibus praebuere. Plerique

qui ibi erant, et facta oratione et communione, reversa sum Tharso ad iter meum: ubi facta stativa triduana, in nomine Dei profecta sum inde iter meum. Ac sic perveniens eadem die ad mansionem, quae appellatur Mansocrenas[1], quae est sub monte Tauro, ibi mansi. Et inde alia die subiens montem Taurum, et faciens iter notum per singulas provincias, quas eundo transiveram, id est Cappadociam, Galatiam, et Bithiniam, perveni Calcedona[2], ubi propter famosissimum martyrium sanctae Eufimiae, ab olim mihi notum iam, quod ibi est, mansi loco. Ac sic ergo alia die transiens mare perveni Constantinopolim, agens Christo domino nostro gratias, quod mihi indignae et non merenti praestare dignatus est tantam gratiam: id est, ut non solum voluntatem eundi, sed et facultatem perambulandi, quae desiderabam, dignatus fuerat praestare, et revertendi denuo Constantinopolim. Ubi cum venissem, per singulas ecclesias, vel apostolos[3], nec non per singula martyria, quae ibi plurima sunt, non cessabam domino nostro Iesu gratias agere, qui ita super me misericordiam suam praestare dignatus fuerat. De quo loco, dominae, lumen meum, cum haec ad vestram affectionem darem[4], iam propositi erat, in nomine Iesu Christi domini nostri, ad Asiam accedendi, id est Efesum, propter martyrium sancti et beati apostoli Iohannis gratia orationis. Si autem et post hoc in corpo[5] fuero, si qua preterea loca cognoscere potuero,

vero Manichaeorum sectis addicti a Theodosio condemnati ac deturbati fuere constitutionibus ann. 381 (Cod. Theod. lib. XVI, tit. V, *De haereticis* l. 7) et ann. 383 (ibid. l. 11).

[1] Mansocrenas, mansio, quae nunc primum noscitur fuisse sub Tauro monte, a Tarso duodecim passuum millibus distabat. Itin. Burd. « Fines Cappadociae et Ciliciae — Mansio Mansucrene — Civitas Tarso Ciliciae XII ».

[2] Calchedon urbs inclyta Bithyniae in faucibus Bosphori, ubi martyrium s. Euphemiae virginis pietate maxima cultum. A Costantinopoli facilis erat transitus illuc, quem peregrini libenter agebant.

[3] Ecclesia Apostolorum in urbe Constantinopoli dedicata est V idus Aprilis CCCLXX, ut ex Chronico Alexandrino et Fastis Idacii. Aliam deinde ecclesiam in honorem apostolorum Petri et Pauli, ideo *apostoleum* cognominatam, Rufinus praefectus mirifice extruxit, quae a plurimis episcopis consecrata est anno CCCXCIV. Zozom. VII, c. 17.

[4] Dum hanc suae peregrinationis descriptionem exarabat, Asiam denuo accedere in animo statuerat ad videndum Ephesi martyrium s. Ioannis apostoli, quo Christianos peregrinari solitos esse constat ex Prato spirituali cap. 180.

[5] Sic cod. Id est: si viva fuero.

aut ipsa praesens [1], si Deus fuerit praestare dignatus, vestrae affectioni referam; aut certe, si aliud animo sederit, scriptis nuntiabo [2]. Vos tantum, dominae, lumen meum, memores mei esse dignamini, sive in corpore sive iam extra corpus fuero.

Ut autem sciret affectio vestra, quae operatio singulis diebus cotidie in locis sanctis habetur, certas vos facere debui [3]; sciens, quia libenter haberetis haec cognoscere. Nam singulis diebus, ante pullorum cantum, aperiuntur omnia hostia Anastasis [4], et descendent omnes monazontes et parthenae, ut hic dicimus [5]; et non solum hii, sed et laici preterea, viri aut mulieres, qui tamen volunt maturius vigilare. Et ex ea hora usque in lucem dicuntur ymni, et psalmi responduntur; similiter et antiphonae: et cata singulos ymnos fit oratio [6]. Nam presbiteri bini vel terni, similiter et diacones, singulis diebus vices habent simul cum monazontes, qui cata singulos ymnos vel antiphonas orationes dicunt. Iam autem
56 ubi ceperit lucescere, | tunc incipiunt matutinos ymnos dicere. Ecce

[1] Ita codex. Ipsa praesens post reditum in patriam.

[2] Non modo novi itineris narrationem scriptis nuntiabit, sed aliud etiam, quod secum ipsa volutarit, ad aedificationem sororum.

[3] Incipit declaratio rituum et caerimoniarum, quae in ecclesia hierosolymitana solitae erant celebrari: quam ecclesiam, utpote apostolicam, traditionem apostolorum custodisse, atque peculiari liturgia, quae a s. Iacobo fratre Domini et primo episcopo hierosolymitano nomen traxit, vetustate veneranda usam esse, jure adfirmatur. Exponuntur quidem primum ea, quae diebus feriisque communibus perpetuo agebantur, postea quae temporibus diebusque solemnibus. Documentum hoc a Peregrina nostra prolatum plurimi faciendum est, ex quo antiquissimi ecclesiae christianae ritus revelantur, quos ecclesia romana, ut patet, maxima ex parte probavit et servavit.

[4] Ἀνάστασις, ecclesia Resurrectionis, sive locus sancti Sepulcri; inter omnes celeberrima, quam Constantinus magnus, Helenae matris pietati morem gerens, mirifice aedificavit.

[5] *Hic*, in oriente, ubi ipsa erat, eo nomine monachi et sanctimoniales appellabantur.

[6] Ante pullorum cantum (officio enim initium erat ad galli cantum, S. Ioh. Chrysost. Homel. 57 ad pop. Antioch.) monachi et virgines aedem Anastasis subibant, ibique cum presbyteris et diaconis, qui omnes primum hymnos matutinos, postea psalmos et antiphonas alternis vicibus canebant, oratione ad singulos psalmos vel antiphonas interposita. Quod statutum erat a concilio Laodiceno, can. 17: « Quod in conventu fidelium, nequaquam psalmos continuare conveniat, sed per intervallum, id est per psalmos singulos recenseri debeant lectiones ».

et supervenit episcopus [1] cum clero, et statim ingreditur intro speluncam, et de intro cancellos [2] primum dicet orationem pro omnibus; commemorat etiam ipse nomina, quorum vult, sic benedicet cathecuminos. Item dicet orationem, et benedicet fideles. Et post hoc, exeunte episcopo de intro cancellos, omnes ad manus ei accedunt; et ille eos uno et uno benedicet exiens iam, ac sic fit missa, iam luce [3]. Item hora sexta denuo descendent omnes similiter ad Anastasim, et dicuntur psalmi et antiphonae, donec commonetur episcopus: similiter descendet, et non sedet, sed statim intrat in cancellos intra Anastasim, id est intra speluncam, ubi et mature [4]: et inde similiter primum facit orationem: sic benedicet fideles, et sic exiens de cancellis [5], similiter ei ad manus acceditur. Ita ergo et hora nona fit, sicuti et ad sexta. Hora autem decima (quod appellant hic licinicon, nam nos dicimus lucernare) [6], similiter se omnis multitudo colliget ad Anastasim, incenduntur omnes candelae et cerei, et fit lumen infinitum. Lumen autem de foris non affertur, sed de spelunca interiori eicitur, ubi noctu ac die semper lucerna lucet [7], id est de intro cancellos: dicuntur etiam psalmi lucernares, sed et antiphonae diutius. Ecce et commonetur episcopus, et descendet, et sedet susum [8], nec non etiam

[1] Utrum hoc tempore episcopus hierosolymitanus Cyrillus fuerit, an Iohannes, decerni non potest: nam Cyrillus obiit anno 386, cui Iohannes successit, plurimi a Rufino Aquileiensi, minimi ab Hieronymo habitus.

[2] Monumentum Christi duplici spelunca constabat, scilicet, ut infra explicatur, pars exterior ab interiore cancellis divisa. Constantinus, quum super speluncam templum extrueret forma rotunda, fortasse illam amplificavit.

[3] Manum episcopi exeuntis e cancellis speluncae osculabantur singuli, ac benedictionem accipiebant, deinde missa, cum dies jam lucesceret, celebrabatur.

[4] Ubi et die exoriente fecerat.

[5] Cod. *cancellos*.

[6] Τὸ λυχνικόν, officium lucernarum, vel lucernaris gratiarum actio, a Gregorio Nysseno in vita s. Macrinae commemorata.

[7] Non praetereundum est, quod in sanctiore ecclesiae loco ante monumentum Domini lucerna accensa semper lucebat, sicut religio erat ante martyrum et sanctorum sepulcra; quem ritum, symbolum luminis aeterni gratiaeque divinae, ecclesia catholica perpetuo tuetur. Anton. Martyr idem confirmat, ridicula quadam opinione imbutus (cap. XVIII): « Monumentum, in quo corpus Domini I. Ch. positum fuit, in naturale excisum est petra. Lucerna aerea, quae illo tempore ad caput ipsius posita fuit, ibi ardet die noctuque. »

[8] Susum, id est in cathedra locata in templo superiore; presbyteri autem hinc inde, ut mos est, sedebant.

et presbiteri sedent locis suis: dicuntur ymni vel antiphonae. Et ad (*finem*) ubi perducti fuerint iuxta consuetudinem, lebat se episcopus, et stat ante cancellum, id est ante speluncam: et unus ex diaconibus facit commemorationem singulorum, sicut solet esse consuetudo [1]. Et diacono dicente singulorum nomina, semper pisinni [2] plurimi stant, respondentes semper: Kyrie eleyson, quod dicimus nos: miserere Domine: quorum voces infinitae sunt. Et ut ubi diaconus perdixerit omnia, quae dicere habet, dicet orationem primum episcopus, et orat pro omnibus: et sic orant omnes, tam fideles, quam et cathecumini simul. Item mittet vocem diaconus, ut unusquisque, quomodo stat, cathecuminus inclinet caput: et sic dicet episcopus stans benedictionem super cathecuminos. Item fit oratio, et denuo mittet diaconus vocem, et commonet, ut unusquisque stans fidelium inclinet capita sua: item benedicet fideles episcopus, et sic fit missa [3] Anastasi. Et incipient episcopo ad manus accedere singuli. Et postmodum de Anastasi usque ad Crucem ymnus dicitur, episcopus simul et omnis populus vadet: ubi cum per-
57 ventus fuerit, primum facit orationem: | item benedicet cathecumenos: item fit alia oratio: item benedicet fideles. Et post hoc denuo tam episcopus quam omnis turba vadent denuo post Crucem: et ibi denuo similiter fit, sicuti et ante Crucem [4]. Et similiter

[1] Commemoratio sanctorum vel eorum defunctorum, quorum decurrebat dies, a diacono fiebat, unde hae preces fidelium et diaconicae dictae sunt.

[2] Pisinni, seu parvuli, precationem *Kyrie eleison* decantabant, cuius hic primum mentio fit: s. Augustinus quoque eam memorat in epist. 118, seu in altercatione cum Pascentio ariano. In antiquissima liturgia s. Iacobi, saepe legitur *Kyrie eleison* a populo exorari post invocationem diaconi.

[3] De missa vespertina agitur, cuius sacrum post horam decimam et officium lucernare eo tempore agebatur. Testatur s. Augustinus (ep. 118 ad Ianuarium) in Africa duas missas fieri, unam mane et alteram nocte (cf. Concil. Agathense cap. 30, et Aurelianense III, cap. 28). Dubitatur, utrum missa vespertina fuerit eadem, nec ne, quae praesanctificatorum dicitur, id est sine consecratione. Peregrina inter matutinam et vespertinam nullam indicat differentiam.

[4] Ante et post Crucem, nempe ante et post cubiculum, in quo crux Domini servabatur. S. Paulinus in epist. V ad Severum: « Probata crux Christi est: dignoque mox ambitu consecratur, condita in passionis loco basilica; quae aureis corusca laquearibus et aureis dives altaribus arcano positam sacrario crucem servat ». Breviarium de Hierosolyma initio: « In introitu basilicae ipsius (Constantini) ad sinistram partem est cubiculum, ubi crux Domini posita est ». Theodosius de Terra sancta (circ. a. 530): « Et in circuitu montis sunt cancelli de ar-

ad manum episcopi acceditur sicut ad Anastasim: ita et ante Crucem: ita et post Crucem. Candelae autem vitreae ingentes ubique plurimae pendent, et cereofala [1] plurima sunt, tam ante Anastasim, quam etiam ante Crucem, sed et post Crucem: finiuntur ergo haec omnia cum tenebris [2]. Haec operatio cotidie per dies sex ita habetur ad Crucem et ad Anastasim. Septima autem die, idest dominica die, ante pullorum cantum colliget se omnis multitudo, quaecumque esse potest in eo loco: ac si per pascha in basilica, quae est loco iuxta Anastasim, foras tamen [3], ubi luminaria per hoc ipsud pendent. Dum enim verentur, ne ad pullorum cantum non occurrant, antecessus [4] veniunt, et ibi sedent. Et dicuntur ymni, nec non et antiphonae; et fiunt orationes cata singulos ymnos vel antiphonas. Nam et presbiteri et diacones semper parati sunt in eo loco ad vigilias propter multitudinem, quae se colliget. Consuetudo enim talis est, ut ante pullorum cantum loca sancta non aperiantur. Mox autem primus pullus cantaverit, statim descendet

gento. Ibi est exedra, ubi fuit resuscitatus, per quem fuit crux Christi declarata: cubiculum, ubi posita est crux Domini Iesu Christi. Et ipsa crux est de auro et gemmis ornata, et celum desuper aureum, et de foris habet cancellum ». Antoninus martyr cap. 20: « In basilica Constantini, coherente circum monumentum vel Golgotha, in atrio ipsius basilicae est cubiculum, ubi lignum sanctae crucis positum est ».

[1] Candelae vitreae, scilicet cerei cum fulcro vitreo: cereofala autem erant candelabra (v. Ducange, Gloss. ad v.).

[2] Cod. *cum crebris.*

[3] Splendidiore cultu basilicam excitavit ornavitque Constantinus ad latus ecclesiae Resurrectionis: illius magnificentiam Eusebius (Vita Contantini cap. 35 et seqq.) describendo nobis proposuit, ex quo pauca referre iuvabit: « Quippe lateri illi, quod e regione speluncae positum solis ortum spectabat, coniuncta erat basilica: opus plane admirabile in immensam altitudinem elatum, et longitudine et latitudine maxima expansum. Cuius interiora quidem versiculoribus marmoris crustis obiecta sunt: exterior vero parietum superficies, politis lapidibus probe inter se vinctis decorata, eximiam quandam pulchritudinem nihil inferiorem marmoris specie praeferebat ». Et plurimis verbis prosequitur ceteras partes explicans, et geminas porticus, hemispherumque duodecim columnis suffultum cum crateribus argenteis. Itinerarium Burdigalense paulo ante Eusebium Caesariensem hoc modo basilicam adumbravit: « A sinistra autem parte est monticulus Golgotha, ubi Dominus crucifixus est. Inde quasi ad lapidis missum est crypta, ubi corpus eius positum fuit, et tertio die surrexit. Ibidem modo iussu Constantini imperatoris basilica facta est, id est dominicum mirae pulchritudinis, habens ad latus exceptoria, unde aqua levatur, et balneum a tergo, ubi infantes lavantur. »

[4] Sic cod. lege: in antecessum.

episcopus, et intrat intro speluncam ad Anastasim. Aperiuntur hostia omnia, et intrat omnis multitudo ad Anastasim: ubi iam luminaria infinita lucent: et, quemadmodum ingressus fuerit populus, dicet psalmum quicumque de presbiteris, et respondent omnes: post hoc fit oratio. Item dicit psalmum quicumque de diaconibus, similiter fit oratio: dicitur et tertius psalmus a quocumque clerico, fit et tertio oratio, et commemoratio omnium. Dictis ergo his tribus psalmis [1], et factis orationibus tribus, ecce etiam thimiataria [2] inferuntur intro spelunca Anastasis, ut tota basilica Anastasis repleatur odoribus. Et tunc ubi stat episcopus intro cancellos, prendet evangelium, et accedet ad hostium, et leget resurrectionem domnus episcopus ipse. Quod cum ceperit legi, tantus rugitus et mugitus fit omnium hominum, et tantae lacrimae, ut quamvis durissimus possit moveri in lacrimis, Dominum pro nobis tanta sustinuisse. Lecto ergo evangelio exit episcopus, et ducitur cum ymnis ad Crucem, et omnis populus cum illo. Ibi denuo dicitur unus psalmus, et fit oratio. Item benedicit fideles, et fit missa [3]. Et exeunte episcopo, omnes ad manum accedunt. Mox autem recipit se episcopus in domum suam. Etiam ex illa hora
58 revertuntur omnes monazontes ad Anastasim, et psalmi | dicuntur et antiphonae usque ad *lucem* [4]: et cata singulos psalmos vel antiphonas fit oratio: vicibus enim quotidie presbiteri et diacones vigilant ad Anastasim cum populo de laicis etiam viris aut mulieribus. Si qui volunt usque ad lucem, loco sunt: si qui nolunt, revertuntur in domos suas, et reponent se dormito.

Cum luce autem, quia dominica dies est, et proceditur in ecclesia maiore, quam fecit Constantinus; quae ecclesia in Golgotha est post Crucem [5]: et sunt omnia secundum consuetudinem, quae

[1] Recitationis trium psalmorum horis canonicis, cuius ritus nullus testis ante Amalarium (De divin. off. l. IV, cap. 3), ni fallor, supererat, nunc vetustas agnoscitur et ratio ab ecclesia servata (Vide etiam Cornelium a Lapide, de Psalmis).

[2] Sic cod. Thymiamateria ex auro purissimo donavit Constantinus quibusdam ecclesiis iussu suo aedificatis, fortasse etiam hierosolymitanis.

[3] Missa ante lucem, atque ut videtur ad Crucis cubiculum.

[4] Huius vocis littera c tantum superest, at restitutio *ad lucem* certa est.

[5] Ecclesiam magnam et mirabilem extrui iussit Constantinus in eo loco monticuli Golgotha, ubi passus est Christus: ecclesia quidem maior et Martyrium (ut Peregrina scribit) appellabatur, atque posita erat post Crucis cubiculum, situm in basilica, de qua superius diximus.

ubique fit[1] die dominica. Sane quia hic consuetudo sic est, ut de omnibus presbiteris, qui sedent, quanti volunt, predicent: et post illos omnes episcopus predicat: quae predicationes propterea semper dominicis diebus sunt, ut semper erudiatur populus in scripturis et in Dei dilectione[2]: quae predicationes dum dicuntur, grandis mora fit, ut fiat missa ecclesiae: et ideo ante quartam horam, aut forte quintam, missa (*non*) fit. At ubi autem missa facta fuerit ecclesiae iuxta consuetudinem, qua et ubique fit; tunc de ecclesia monazontes cum ymnis ducunt episcopum usque ad Anastasim. Cum autem ceperit episcopus venire, aperiuntur omnia ostia de basilica Anastasis. Intrat omnis populus, fidelis tamen: nam cathecumini non[3]. Et at ubi intraverit populus, intrat episcopus, et statim ingreditur intra cancellos martyrii speluncae. Primum aguntur gratiae Deo, et sic fit oratio pro omnibus: postmodum mittet vocem diaconus, et inclinent capita sua omnes, quomodo stant: et sic benedicet eos episcopus stans intro cancellos interiores, et postmodum egreditur. Egredienti autem episcopo omnes ad manus accedent. Ac sic est, ut prope usque ad quintam aut sextam horam protraitur missa. Item et ad lucernares similiter fit iuxta consuetudinem cotidianam. Haec ergo consuetudo singulis diebus ita per totum annum custodiatur, exceptis diebus solemnibus, quibus et ipsis quemadmodum fiat infra annotabimus. Hoc autem inter omnia satis precipuum est, quod faciunt, ut psalmi, vel antiphonae, apti semper dicantur, tam qui nocte dicuntur, tam qui contra mature: tam etiam qui per diem vel sexta aut nona vel ad lucernare semper ita apti et ita rationales, ut ad ipsam rem pertineant, quae agitur. Et cum toto anno semper dominica die in ecclesia maiore procedatur, id est quae in Golgotha est (id est post Crucem), quam fecit Constantinus; una tantum die dominica, id

[1] Notandum illud *ubique* inferius quoque repetitum, quo unio non modo totius ecclesiae sed etiam eius ritus universalis enunciatur.

[2] In ecclesia apostolica hierosolymitana die dominico plures ad libitum ἱερολόγοι erant et tractatores ad populum: ex quo sacer mos profectus est, ut die dominico ante oblationem fiat evangelii ac scripturarum explanatio.

[3] Compertum est, catechumenis non licuisse arcanam doctrinam audire, et sacrificio adesse.

est quinquagesimarum per pentecosten[1], in Syon[2] proceditur, sicut infra anno tantum invenietis[3]: sic tamen in Syon, ut antequam sit hora tertia, illuc eatur. Fiat primum missa in ecclesiam maiorem

Deest unum folium.

59 | [4] " Benedictus qui venit in nomine Domini „ et cetera, quae secuntur. Et quoniam per monazontes, qui pedibus vadent, necesse est levius iri; ac sic pervenitur Ierusolima ea hora, qua incipit homo hominem posse cognoscere, id est prope luce, ante tamen quam lux fiat. Ubi cum perventum fuerit, statim sic in *Ana*stase[5] ingreditur episcopus, et omnes cum eo, ubi luminaria iam supramodo lucent. Dicitur ergo ibi unus psalmus: fit oratio: benedicuntur ab episcopo primum cathecumini, item fideles. Recipit se episcopus, et vadent se unusquisque ad ospitium suum, ut se resumant. Monazontes autem usque ad lucem ibi sunt, et ymnos dicunt. At ubi autem resumpserit se populus hora incipiente secunda, colligent se omnes in ecclesia maiore, quae est in Golgotha. Qui autem ornatus sit illa die ecclesiae vel Anastasis, aut Crucis,

[1] Quinquagesimae vocabantur quinquaginta dies, qui a Pascha ad Pentecosten intercedunt.

[2] Basilica in monte Sion aedificata in loco, ubi Dominus post suam resurrectionem apostolis apparuit, et ubi Spiritus Sanctus super eos descendit, ab apostolis ipsis fundata ferebatur; eam reliquiae insignes ad passionem Domini spectantes decorabant, et dicebatur *sanctissima mater omnium ecclesiarum* (Sulpic. Sev. in *Vita s. Martini* ed. de Prato, tom. I p. 389). Traditio quoque invaluit, eo loco Mariam matrem Domini diem obiisse, et prope hortum Getsemani sepultam fuisse. Forma autem magnae basilicae erat quadrilatera, ut Arculfus Adamnano narravit (De loc. sanct. l. I, cap. XIX). Vide S. Cyril. in Catech. XVI.

[3] Cod. *invenientis.*

[4] In abscisso folio continebatur (ut arbitror) repetitio summaria divinorum officiorum, quae die dominico fiebant, ut satius perciperentur. Postea declarationem rituum, quae diebus solemnibus agebantur, Peregrina oratione complectens, a Paschate Natalis Domini initium coepit. Quod festum in basilica Bethleem, quae speluncam, in qua natus est Iesus, magnifice comprehendebat, ea ipsa nocte augustiore pompa colebatur. Proficiscebantur Hierosolyma processiones vel litaniae post officium lucernare Bethleem versus (distabat enim Bethleem sex millibus passuum), episcopum et clerum universo populo comitante. Deinde sacris, eius noctis et loci propriis in aede peractis, rursus omnes, canentes preces et illud: « Benedictus qui venit in nomine Domini », partim equo partim pedetentim Hierosolymam ante lucem revertebantur.

[5] Saepe in codice *Anastasis* scribitur *Astasis.*

aut in Bethleem, superfluum fuit scribi. Ubi extra aurum et gemmas aut sirico, nihil aliud vides: nam si vela vides, auroclava oloserica sunt; si cortinas vides, similiter auroclavae olosericae sunt. Ministerium [1] autem, omne genus, aureum gemmatum profertur illa die. Numerus autem vel ponderatio de ceriofalis, vel cicindelis [2], aut lucernis, vel diverso ministerio, numquid vel existimari aut scribi potest? Nam quid dicam de ornatu fabricae ipsius, quam Constantinus sub presentia matris suae [3], in quantum vires regni sui habuit, honoravit auro, musivo, et marmore pretioso tam ecclesiam maiorem, quam Anastasim, vel ad Crucem [4], vel cetera loca sancta in Ierusolima? Sed ut redeamus ad rem, fit ergo prima die missa in ecclesia maiore, quae est in Golgotha. Et quoniam dum predicant, vel legent singulas lectiones, vel dicunt ymnos, omnia tamen apta ipsi diei: et inde postmodum cum missa ecclesiae facta fuerit, hitur cum ymnis ad Anastasim, iuxta consuetudinem: ac sic fit missa forsitan sexta hora. Ipsa autem die, similiter et ad lucernare iuxta consuetudinem cotidianam fit. Alia denuo die similiter in ipsa ecclesia proceditur in Golgotha. Hoc idem et tertia die: per triduo ergo per homines laetitia in ecclesia, quam fecit Constantinus, celebratur usque ad sextam. Quarta die in Eleona, id est in ecclesia, quae est in monte oliveti [5], pulchra satis, similiter omnia ita ornantur, et ita celebrantur ibi. Quinta die in Lazariu, quod est ab Ierusolima forsitan ad mille quingentos

[1] Ministerium significat omnem ecclesiae supellectilem sacram. Concil. Valent. III (ann. 855) cap. 10: « Thesaurus, sive ministerium, vel ornamentum ecclesiarum ».

[2] Cicindela, genus lampadis, vel parva lampas, de qua Zaccaria in Onomast. Rit. ad v.

[3] Helena, Constantini mater, postquam crucem Domini, ut fertur, invenit, aedificia sacra in Golgotha praeter opinionem mirabilia excitavit, sed eorum formae delineandae fundamentisque iaciendis solummodo adfuit, nam anno sequenti (328) e vita migravit.

[4] Ad Crucem hic usurpatur pro basilica, ubi erat crucis cubiculum.

[5] Ecclesia in Eleona, scilicet in monte Oliveti, ab Helena et Constantino filio constructa, non Ascensionis locum, ut vulgo putatur, sed speluncam complectebatur, in qua Dominus cum apostolis suis considerat. Itin. Burdig.: « Inde ascendis in montem Oliveti, ubi Dominus ante passionem discipulos suos docuit. Ibi facta est iussu Constantini basilica mirae pulchritudinis ».

passus [1]. Sexta die in Syon. Septima die in Anastase. Octava die ad Crucem. Ac sic ergo per octo dies haec omnis laetitia, et is hornatus celebratur in omnibus locis sanctis, quos superius no-
60 minavi. In Bethleem autem per | totos octo dies cotidie is ornatus est; et ipsa laetitia celebratur a presbiteris et ab omni clero ipsius loci, et a monazontes, qui in ipso loco deputati sunt. Nam et illa hora, qua omnes nocte in Ierusolima revertuntur cum episcopo, tunc loci ipsius monachi, quicumque sunt, usque ad lucem in ecclesia in Bethleem pervigilant, ymnos seu antiphonas dicentes: quia episcopum necesse est hos dies semper in Ierusolima tenere. Pro sollemnitate autem et laetitia ipsius diei infinitae turbae se undique colligent in Ierusolima, non solum monazontes, sed et laici viri, aut mulieres.

Sane quadragesimae de epiphania [2] valde cum summo honore hic celebrantur. Nam eadem die processio est in A*na*stase, et omnes procedunt, et ordine aguntur omnia cum summa laetitia, ac si per pascha. Predicant etiam omnes presbiteri, et sic episcopus semper de eo loco tractantes evangelii, ubi quadragesima die tulerunt Dominum in templo Ioseph et Maria, et viderunt eum Symeon vel Anna prophetissa filia Samuhel, et de verbis eorum, quae dixerunt viso Domino, vel de oblatione ipsa, qua*m* obtulerunt parentes. Et postmodum celebratis omnibus per ordinem, quae consuetudine sunt, aguntur sacramenta, et sic fit missa.

Item dies pascales cum venerint, celebrantur sic. Nam sicut apud nos quadragesimae ante pascha attenduntur: ita hic octo septimana*e* attenduntur ante pascha. Propterea autem octo septimanae attenduntur, quia dominicis diebus et sabbato non ieiuna-

[1] Lazarium, sive sepulcrum Lazari in Bethania. Itin. Burd. « Inde ad orientem passus mille quingentos est villa, quae appellatur Bethania. Ibi est crypta, ubi Lazarus positus fuit, quem suscitavit Dominus. » Et Arculfus in Adamnano, lib. I cap. XXIV: « Quemdam Bethaniae campulum magna olivarum silva circumdatum visitavit, ubi grande est monasterium, et grandis basilica supra illam aedificata speluncam, de qua Dominus quatriduanum suscitavit Lazarum. »

[2] Quadragesimae de Epiphania non aliud sunt, nisi dies quadragesimus a Natale Domini (quod eo tempore Theophania a Graecis vocabatur), quo die festum Purificationis V. M. hodie etiam celebrat ecclesia. Hoc festum, quod institutum esse ante saeculum quintum a doctis viris negatur, vel in dubium vocatur, perantiquum Hierosolymis fuisse agnoscimus. Episcopus de evangelii loco, ubi Lucas (cap. II, v. 22 et seqq.) purificationem commemorat, ad populum concionabatur.

tur, excepta una die sabbati, qua vigiliae paschales sunt, et necesse est ieiunari: extra ipsum ergo diem penitus numquam hic, toto anno, sabbato ieiunatur [1]. Ac sic ergo de octo septimanis, deductis octo diebus dominicis et septem sabbatis (quia necesse est una sabbati ieiunari, ut superius dixi), remanent dies quadraginta et unus, qui ieiunantur; quod hic appellant eortae [2] id est quadragesima. Singuli autem dies singularum ebdomadarum aguntur sic, id est: ut die dominica de pullo primo legat episcopus intra Anastase locum resurrectionis Domini de evangelio, sicut et toto anno dominicis diebus fiet: similiter usque ad lucem agantur ad Anastasem et ad Crucem, quae et toto anno dominicis diebus fiunt. Postmodum mane, sicut et semper dominica die, proceditur, et aguntur, quae dominicis diebus consuetudo est agi, in ecclesia maiore, quae appellatur Martyrio, quae est in Golgotha post Crucem [3]. Et similiter, missa de ecclesia facta, ad Anastasim itur cum

[1] Quale esset quadragesimae tempus in hierosolymitana ecclesia hic explanatur, cuius rei valde obscura nobis erat hucusque cognitio: tantum enim constabat sabbatum et dominicum diem Graecos solitos esse feriari. Ratmannns Corbeiensis, qui Caroli magni tempore vixit, fortasse ex scriptore alio, ac ex nostra Peregrinatione, haec, ab Ioh. Launoy adducta (Opera, t. II, p. II, p. 666: De veteri ciborum delectu in ieiuniis Christianorum) depromsit: « Qui vero nec sabbato nec dominica ieiunant, et tamen ante Pascha quadragesimam implere gestiunt, necesse est, ut octava hebdomada ieiunium suscipiant. »

[2] Ἑορταί non quadragesimae sed feriae sunt: at dicuntur etiam pro quovis tempore sacro, ut Zonaras in Lexico: Ἑορτή, χρόνος ἱερὸς κατὰ νόμους.

[3] Ecclesia in Golgotha post Crucis cubiculum appellabatur Martyrium, propterea quod locus ille fuit, ubi Christus passus est, sibique testimonium ipse perhibuit. Quod inferius ita explicatur: « Propterea autem Martyrium appellatur, quia in Golgotha est, id est post Crucem, ubi Dominus passus est, et ideo Martyrion. » Sed haec Constantini basilica, quae vel propter sanctitatem, vel magnificentiam, ecclesia maior vocata est, a fere omnibus auctoribus, qui de sanctorum locorum descriptione bene meriti sunt, cum Anastase, id est ecclesia sancti sepulcri, confunditur, et una eademque putatur. Eos profecto in errorem adduxerunt scriptorum gravissimorum praesertim S. Cyrilli episcopi hierosolymitani solemnia verba, (Cathech. XIV, § 6.), quae ita se habent: « Vides etiam prophetam praevidisse locum resurrectionis, qui Martyrium appellandus erat. Qua enim ratione, non ceterarum ecclesiarum more, Golgothae et resurrectionis locus ecclesia appellatur, sed Martyrium? at id fortasse propter prophetam (Sophon. III, 7), qui dixit: In diem resurrectionis meae in Martyrium. » Praeterea S. Cyrilli dicta ab Eusebio variis in locis confirmantur (Vita Constantini, l. III, c. 8, et De laudibus Constantini, cap. 9), quibus ecclesia Resurrectionis dici solet Martyrium. Addamus Hieronymum in epistola n. 44 « Sanctum monu-

ymnis, sicut semper dominicis diebus fit. Haec ergo dum aguntur, facit se ora quinta: lucernare hoc idem hora sua fit, sicut semper ad Anastasem et ad Crucem, sicut et singulis locis sanctis fit:
61 dominica enim die nona fit. | Item secunda feria similiter de pullo primo ad Anastasem itur sicut et toto anno, et aguntur usque ad mane quae semper. Denuo ad tertia itur ad Anastasim, et aguntur quae toto anno ad sextam solent agi: quoniam in diebus quadragesimarum et hoc additur, ut ad tertiam eatur: item ad sextam, et nonam, et lucernare ita aguntur, sicut consuetudo est per totum annum agi semper in ipsis locis sanctis. Similiter et tertia feria, similiter omnia aguntur sicut et secunda feria. Quarta feria autem similiter itur de noctu ad Anastase, et aguntur ea, quae semper usque ad mane, similiter et ad tertiam, et ad sextam: ad nonam autem, quia consuetudo est semper, id est toto anno, quarta feria et sexta feria ad nona in Syon procedi, quoniam in istis locis, excepto si martyriorum dies[1] evenerit, semper quarta et sexta feria etiam et a cathecuminis ieiunatur, et ideo ad nonam in Syon proceditur. Nam si fortuito in quadragesimis martyrorum dies evenerit quarta feria aut sexta feria, neque[2] ad nona in Syon proceditur. Diebus vero quadragesimarum, ut superius dixi, quarta feria ad nona in Syon proceditur iuxta consuetudi-

mentum Christi domini confessionem, quod idem Latinis est ac Martyrium Graecis, appellare videtur.» Nihilominus, quo nobis flectendum sit, non ancipiti cura versamur: nam neque Peregrina solum, quae, quum omnia lustrasset, dubium expellit, lumen diffundit, sed alia etiam testimonia antiqua ad rem tantam confirmandam opportuna succurrunt. S. Eucherius (ann. circ. 440) in epistola scribit: «Pro conditione platearum divertendum est ad basilicam, quae Martyrium appellatur, a Constantino magno cultu extructa. Dehinc coherentia ab occasu visuntur Golgotha atque Anastasis: sed Anastasis in loco est resurrectionis, Golgotha vero medius inter Anastasim ac Martyrium, locus est dominicae passionis.» In Breviario de Hierosolyma (a. circ. 530) legitur: «In medio civitatis est basilica Constantini. In introitu basilicae ipsius ad sinistram partem est cubiculum, ubi crux Domini posita est.... Et inde intras in Golgotha: est ibi atrium grande, ubi crucifixus est Dominus... Inde ad occidentem intras sanctam resurrectionem, ubi est sepulcrum Domini.» Arculfus etiam haec retulit: «Huic ecclesiae in loco Calvariae.... in parte cohaeret basilica magno cultu a rege Constantino constructa, quae et Martyrium appellatur, in eo ut fertur fabricata loco, ubi crux Domini.... reperta est.» Idem Beda de locis sanctis cap. II.

[1] Si natalis alicuius martyris inciderit, colendusque sit.

[2] Cod. *atque*.

nem totius anni, et omnia aguntur, quae consuetudo est ad nonam agi praeter oblatio[1]: nam ut semper populus discat legem, et episcopus et presbiter predicant assidue. Cum autem facta fuerit missa, inde cum ymnis populus deducet episcopum usque ad Anastasem, iam et tota lucernari: sic dicuntur ymni et antiphonae, fiunt orationes, et fit missa lucernaris in Anastase et ad Crucem. Missa autem lucernaris hiisdem diebus, id est quadragesimarum, serius fit semper quam per toto anno. Quinta feria autem similiter omnia aguntur, sicut secunda feria, et tertia feria. Sexta feria autem similiter omnia aguntur sicut quarta feria, et similiter ad nonam in Syon itur: et similiter inde cum ymnis usque ad Anastase adducetur episcopus. Sed sexta feria vigiliae in Anastase celebrantur ad ea hora, qua de Sion ventum fuerit, cum ymnis usque in mane, id est de hora lucernari, quemadmodum intratum fuerit. In alia die mane, id est sabbato, fit autem oblatio in Anastase maturius, ita ut fiat missa ante solem[2]. Tota autem nocte vicibus dicuntur psalmi responsorii, vicibus antiphonae, vicibus lectiones diversae, quae omnia usque in mane protrahuntur. Missa autem, quae fit sabbato ad Anastase, ante solem fit, hoc est oblatio: ut ea hora, qua incipit sol procedere, iam missa[3] in Anastase facta sit. Sic ergo singulae septimanae celebrantur quadragesimarum. Quod autem dixi, maturius fit missa sabbato, | id est ante solem, 62
propterea fit, ut citius absolvant hii, quos dicunt hic domadarios[4]. Nam talis consuetudo est ieiuniorum in quadragesimis, ut hii, quos appellant ebdomadarios, id est qui faciunt septimanas, dominica die, quia hora quinta fit missa, ut manducent. Et quemadmodum prandiderint dominica die, iam non manducant, nisi sabbato mane mox communicaverint in Anastase. Propter ipsos ergo, ut citius absolvant, ante sole fit missa in Anastase sabbato. Quod autem dixi, propter illos fit missa mane, non quod illi soli communicent, sed omnes communicant, qui volunt eadem die in Anastase communicare.

[1] Praeter sacrificium: sed mox post praedicationem precesque celebratas in ecclesia Sion, liturgia lucernaris fit in Anastase.

[2] Oblatio ritus est offerendi; missa, dimittendi populum sacris peractis.

[3] Cod. *ad missam.*

[4] Cibum ut sumerent, qui continuo ieiunantes hebdomadam sustinuissent.

Ieiuniorum enim consuetudo hic talis est in quadragesimis, ut alii quemadmodum manducaverint dominica die post missa, id est hora quinta vel vj^{a}, iam non manducent per tota septimana, nisi sabbato veniente post missa Anastasis, hi qui faciunt ebdomadas. Sabbato autem quod manducaverint mane, iam nec sera manducant, sed ad aliam diem, id est dominica, prandent post missa ecclesiae ora quinta vel plus; et postea iam non manducent nisi sabbato veniente, sicut superius dixi. Consuetudo enim hic talis est: omnes, qui sunt, ut hic dicunt, aputactites, viri vel feminae, non solum diebus quadragesimarum, sed et toto anno, qua*ndo* manducant, semel in die manducant: si qui autem sunt de ipsis aputactites, qui non possunt facere integras septimanas ieiuniorum, sicut superius diximus, in totis quadragesimis, in medio quinta feria cenant: qui autem nec hoc potest, biduanas facit per totas quadragesimas: qui autem nec ipsud, de sera ad seram manducant. Nemo autem exigit, quantum debeat facere, sed unusquisque ut potest facit: nec ille laudatur, qui satisfecerit, nec ille vituperatur, qui minus. Talis est enim hic consuetudo. Esca autem eorum quadragesimarum diebus haec est, ut nec panem, quod librari [1] non potest, nec oleum gustent, nec aliquid, quod de arboribus est, sed tantum aqua et sorbitione modica de farina [2]. *Ieiunium* [3] quadragesimarum sic fit, ut diximus.

Et completo earum septimanarum vigiliae, in A*na*stase sunt de hora lucernari sexta feria, qua*ndo* de Syon venitur cum psalmis usque in mane sabbato, qua*ndo* oblatio fit in A*na*stase. Item secunda septimana et tertia et iij^{a} et quinta et sexta similiter fiunt, ut prima de quadragesimis. Septima autem septimana cum venerit, id est quando iam due superant cum ipsa, ut pascha sit,

[1] Cod. liberari.

[2] Hos ξηροφάγους christianos, qui etiam inter haereticos recensiti sunt, memorat Epiphanius (adver. haer. n. XXII), et Io. Chrysostomus (Omel. IV ad pop. Antioch.), qui haec tradidit: « Et sicut quidam sunt inter se ciborum abstinentia aemulantes, et mirabilem contentionem facientes, et hi quidem integros duos dies transigunt, hi vero non vini tantum et olei, sed et omnis ferculi usum a sua mensa reiicientes, pane et aqua utentes dumtaxat, quadragesimam omnem expediunt. » Confer Hieronymum in epistola ad Nepotianum: « fortissimum ieiunium est aquae et panis. » Cf. etiam S. Augustinum, contra Faustum, l. XXX, c. 5.

[3] Vox *ieiunium* ab antiquario omissa.

singulis diebus omnia quidem sic aguntur, sicut et ceteris septimanis, quae transierunt. Tantummodo quod vigiliae, quae in illis septimanis in *Ana*stase factae sunt, septima autem septimana, id est sexta feria, in Syon | fiunt vigiliae iuxta consuetudinem ea*e*, 63
quae in *Ana*stase factae sunt per sex septimanas. Dicuntur autem totis singulis apti psalmi semper, vel antiphonae, tam loco quam diei. At ubi autem ceperit se mane facere, sabbato illucescente, offeret episcopus, et facit oblationem, mane sabbato, iam ut fiat missa. Mittit vocem archidiaconus, et dicit: omnes hodie hora septima in Lazario parati simus. Ac sic ergo cum ceperit se hora septima facere, omnes ad Lazarium veniunt. Lazarium autem, id est Bethania, est forsitan secundo miliario a civitate [1]. Euntibus autem de Ierosolima in Lazarium, forsitan ad quingentos passus, de eodem loco ecclesia est in strata in eo loco, in quo occurrit Domino Maria soror Lazari [2]. Ibi ergo cum venerit episcopus, occurrent ibi omnes monachi, et populus ibi ingreditur: dicitur unus ymnus, et una antiphona, et legitur ipse locus de evangelio, ubi occurrit soror Lazari Domino. Et sic facta oratione, et benedictis omnibus, inde iam usque ad Lazarium cum ymnis itur. In Lazario autem cum ventum fuerit, ita se omnis multitudo colligit, ut non solum ipse locus, sed et campi omnes in giro pleni sint hominibus. Dicuntur ymni, etiam et antiphonae, apti diei et loco: similiter et lectiones aptae diei quaecumque leguntur. Iam autem, ut fiat missa, denuntiatur pascha: id est, subit presbiter in altiori loco, et leget illum locum, qui scriptus est in evangelio: " Cum venisset Iesus in Bethania ante sex dies paschae, et ce-

[1] Superius dixit Bethaniam ab Hierosolymis distare mille et quingentos passus, hic autem duo milliaria (Ev. Ioann. XI, 18, stadiis quindecim), idem quoque a Theodosio (De terra sancta, § 14) asseritur: « De Hierusalem usque Bethaniam sunt millia duo, ubi resuscitavit Dominus noster Iesus Christus Lazarum, et in resuscitatione sancti Lazari in ipso loco ante pascham die dominico omnis populus congregatur, et missae celebrantur. » Quod autem dicit Theodosius, non est veritati consentiens, quum non die dominico sed sabbato ante dominicam palmarum has caeremonias in Lazario actas esse constet, eumque diem sabbatum Lazari a Graecis etiam nunc vocari.

[2] Hanc ecclesiam in loco, ubi Martha obviam ivit Domino (Ioann. XI, 20), ab alio scriptore memoratam esse non reperio; tantummodo Hieronymus indicat hospitium Marthae: « Post ingressa (Paula) sepulcrum Lazari, Mariae et Martae vidit hospitium. »

tera. „ Lecto ergo eo loco, et annuntiata pascha, fit missa. Propterea autem ea die hoc agitur, quoniam sicut in evangelio scriptum est, ante sex dies paschae factum hoc fuisset in Bethania: de sabbato enim usque in quinta feria, qua post cena noctu comprehenditur Dominus, sex dies sunt. Revertuntur ergo omnes ad civitatem, rectus[1] ad Anastase, et fit lucernare iuxta consuetudinem.

Alia ergo die, id est dominica, qua intratur in septimana paschale, quam hic appellant septimana maior[2], celebratis de pullorum cantu eis, quae consuetudinis sunt in Anastase vel ad Crucem, usque ad mane agitur. Die ergo dominica mane proceditur iuxta consuetudinem in ecclesia maiore, quae appellatur Martyrium. Propterea autem Martyrium appellatur, quia in Golgotha est, id est post Crucem, ubi Dominus passus est, et ideo Martyrion. Cum ergo celebrata fuerint omnia iuxta consuetudinem in ecclesia maiore, et antequam fiat missa, mittet vocem archidiaconus, et dicit primum: iuxta septimana omne, id est die crastino, hora nona, omnes ad Martyrium conveniamus, id est in ecclesia maiore. Item mittet vocem alteram, et dicit: hodie omnes hora septima parati simus. Facta ergo missa in ecclesia maiore, id est ad Martyrium, deducitur episcopus cum ymnis ad
64 Anastase, et ibi completis, quae | consuetudo est diebus dominicis fieri in Anastase post missa Martyrii, etiam unusquisque ivens ad domum suam festinat manducare, ut hora inquoante[3] septima, omnes in ecclesia parati sint, quae est in Eleona, id est in monte oliveti: ibi est spelunca illa, in qua docebat Dominus[4].

[1] Rectus, adverbialiter pro recta via.

[2] Septimana maior etiam a S. Cyrillo illa appellatur in Cathechesi XVIII.

[3] Id est *inchoante*.

[4] Speluncam montis Oliveti, in qua Dominus se cum discipulis recipiebat, evangelistae non commemorant: at sacra constansque traditio viguit et effecit, ut Constantinus ibi ecclesiam pulcherrimam excitaret: Itinerarium Burdigalense de hoc testem adduximus, alios modo adducere fas sit. Eucherius (De locis sanctis, § 8) scribit: « Duae in eo (monte Oliveti) ecclesiae celeberrimae habentur: una in eodem fundata loco, in quo Dominus ad discipulos suos habuisse dicitur sermones, altera in loco, de quo coelum ascendisse traditur. » Theodosius (de terra sancta § 13): « Ibi (in monte Oliveti) asserunt fabricatas fuisse viginti quatuor ecclesias, et ibi prope est spelunca, quae dicitur μάζα, quod interpretatur discipulorum, ubi Dominus, quando praedicabat in Hierusalem, requiescebat. »

Hora ergo septima omnis populus ascendet in monte oliveti, id est in Eleona: in ecclesia sedet episcopus: dicuntur ymni et antiphonae apte diei ipsi vel loco: lectiones etiam similiter. Et cum ceperit se facere hora nona, subitur cum ymnis in Imbomon, id est in eo loco, de quo ascendit Dominus in coelis[1], et ibi seditur: nam omnis populus, semper presente episcopo, iubetur sedere; tantum quod diacones stant semper. Dicuntur et ibi ymni vel antiphonae aptae loco aut diei: similiter et lectiones interpositae et orationes. Etiam cum ceperit esse hora undecima, legitur ille locus de evangelio, ubi infantes cum ramis vel palmis occurrerunt Domino, dicentes: " Benedictus, qui venit in nomine Domini. „ Et statim levat se episcopus, et omnis populus porro inde de summo monte oliveti totum pedibus itur. Nam totus populus ante ipsum cum ymnis vel antiphonis respondentes semper: " Benedictus, qui venit in nomine Domini. „ Et quotquot sunt infantes in hisdem locis, usque etiam qui pedibus ambulare non possunt, quia teneri sunt, in collo illos parentes sui tenent, omnes ramos tenentes, alii palmarum, alii olivarum[2]: et sic deducitur episcopus in eo typo, quo tunc Dominus deductus est. Et de summo monte usque ad civitatem, et inde ad Anastase per totam civitatem, totum pedibus: omnis sedet, si quae matronae sunt, aut si qui domini: sic deducunt episcopum respondentes, et sic lente et lente, ne lassetur populus; porro iam sera pervenitur ad Anastase. Ubi

Arculfus (De locis sanctis l. I, 25): « De alia celebriore ecclesia ad australem Bethaniae partem in eo montis Oliveti loco fundata, in quo Dominus ad discipulos habuisse sermonem dicitur ».

[1] Montis Oliveti summitas, quae propter Domini ascensionem ad caelos sacrosancta habita est, vocabatur, ut hic legitur, *Imbomon*, Ἐμβώμιον, quod in altari vel suggestu est. Ibi quoque ecclesia extructa fuit, quae, quod ei forma esset rotunda, medium veneratum locum pulcherrime protegebat: quem desuper testudinem non habuisse, sed religionis causa mansisse sub dio, traditum est. Tempore Itinerarii Burdigalensis (ann. 333) eam ecclesiam nondum extitisse haec testantur: « Inde non longe est monticulus, ubi Dominus ascendit orare, et apparuit illic Moyses et Elias. » Mox Constantinum ecclesiam extruxisse ex eius vita ab Eusebio conscripta (Elcg. Cons. c. 9) intelligimus: quin extaret Hieronymi tempore (Nom. loc. v. 4, Mons Oliveti), non est dubium.

[2] Antiquissimum in ecclesia esse palmarum festum, ex hac descriptione colligitur: quamquam rerum liturgicarum periti eum ritum apud Latinos saeculum octavum, apud Graecos quintum antecessisse negabant.

cum ventum fuerit, quamlibet sero sit totum, fit lucernare: fit denuo oratio ad Crucem; et dimittitur populus.

Item alia die secunda feria aguntur, quae consuetudinis sunt de pullo primo agi usque ad mane ad Anastase: similiter et ad tertia et ad sexta aguntur ea, quae totis quadragesimis. Ad nona autem omnes in ecclesia maiore, id est ad Martyrium, colligent se: et ibi usque ad horam primam noctis semper hymni et antiphonae dicuntur, lectiones etiam aptae diei et loco leguntur, interpositae semper orationes lucernarum. Etiam agitur, ibi cum ceperit hora esse; sic est ergo, ut nocte etiam fiat missa ad Martyrium. Ubi cum factum fuerit missa, inde cum ymnis ad Anastase ducitur episcopus. In quo autem ingressus fuerit in Anastase, dicitur unus ymnus: fit oratio: benedicuntur cathecumini, item fideles, et fit missa.

65 Item tertia feria similiter omnia | fiunt sicut secunda feria. Illud solum additur tertia feria, quod nocte sera, postea quam missa facta fuerit ad Martyrium, et itum fuerit ad Anastase, et denuo in Anastase missa facta fuerit, omnes illa hora noctu vadent in ecclesia, quae est in monte Eleona. In qua ecclesia cum ventum fuerit, intrat episcopus intra spelunca (in qua spelunca solebat Dominus docere discipulos), et accipit codicem evangelii: et stans ipse episcopus leget verba Domini, quae scripta sunt in evangelio in cata Matheo, id est ubi dicitur: " Videte, ne quis vos seducat.[1] „ Et omnem ipsam allocutionem perleget episcopus. At autem ubi illa perlegerit, fit oratio, benedicuntur cathecumini, item et fideles: fit missa: et revertuntur a monte unusquisque ad domum suam satis sera iam nocte.

Item quarta feria aguntur omnia per tota die a pullo primo sicut secunda feria et tertia feria: sed posteaquam missa facta fuerit nocte ad Martyrium, et deductus fuerit episcopus cum ymnis ad Anastase, statim intrat episcopus in spelunca, quae est in Anastase, et stat intra cancellos: presbiter autem ante cancellos stat, et accipit evangelium, et legit illum locum, ubi Iudas Sca-

[1] Matth. cap. XXV, v. 3, 4: «Sedente autem eo super montem Oliveti, accesserunt ad eum discipuli secreto dicentes: Dic nobis quando haec erunt? et quod signum adventus tui, et consummationem saeculi? Et respondens Iesus dixit eis: Videte ne quis vos seducat. »

riothes hivit ad Judeos, definivit quid ei darent, ut traderet Dominum. Qui locus ubi lectus fuerit, tantus rugitus et mugitus est totius populi, ut nullus sit, qui moveri non possit in lacrimis. In ea hora postmodum fit oratio, benedicuntur cathecumini, postmodum fideles, et fit missa. Item quinta[1] feria aguntur ea de pullo primo, quae consuetudinis est usque ad mane ad Anastase: similiter et ad tertia, et ad sexta. Octava autem hora iuxta consuetudinem ad Martyrium colliget se omnis populus: propterea autem temporius, quam ceteris diebus, quia citius missa fietur necesse est. Itaque ergo collecto omni populo aguntur, quae agenda sunt: fit ipsa die oblatio ad Martyrium, et facitur missa hora forsitan decima. Ibidem antea autem quam fiat missa, mittet vocem archidiaconus, et dicet: Hora prima noctis omnes in ecclesia, quae est in Eleona conveniamus, quoniam maximus labor nobis instat hodie nocte ista. Facta ergo missa Martyrii venit post Crucem[2]: dicitur ibi unus ymnus tantum: fit oratio: et offeret episcopus ibi oblationem, et communicant omnes. Excepta enim ipsa die una per totum annum nunquam offeritur post Crucem, nisi ipsa die tantum. Facta ergo et ibi missa, itur ad Anastase: fit oratio: benedicuntur iuxta consuetudinem cathecumini et sic fideles, et fit missa. Et sic unusquisque festinat reverti in domum suam, ut manducet; quia statim, ut manducaverint, omnes vadent in Eleona in ecclesia ea, in qua est spelunca, in qua ipsa die Dominus cum apostolis fuit. Et ibi usque ad hora noctis, forsitan quinta, semper aut ymni, aut antiphonae aptae diei et loco, similiter et lectiones dicuntur: interpositae orationes fiunt: loca etiam ea de evangelio leguntur, in quibus Dominus allocutus est discipulos eadem die, sedens in eadem spelunca, quae in ipsa ecclesia est. Et inde iam hora noctis forsitan sexta, iitur susu in Imbomon cum ymnis in eo loco, unde, ascendit Dominus in celis. | Et ibi denuo similiter 66
lectiones et ymni et antiphonae aptae diei dicuntur: orationes etiam ipsae quaecumque fiunt, quas dicet episcopus, semper et diei et loco aptas dicet.

[1] Cod. quarta.

[2] Offerebat episcopus in ea atrii parte, quae sinistrorsum erat basilicam Martyrii ingressuris, sita inter ipsam aedem et Crucis cubiculum.

Ac sic ergo cum ceperit esse pullorum cantus, descenditur de Imbomon cum ymnis, et accedit eodem loco, ubi oravit Dominus, sicut scriptum est in evangelio: " et accessit quantum iactum [1] lapidis, et oravit, et cetera. „ In eo enim loco ecclesia est elegans[2]: ingreditur ibi episcopus et omnis populus: dicitur ibi oratio apta loco et diei: dicitur etiam unus ymnus aptus, et legitur ipse locus de evangelio, ubi dixit discipulis suis: " Vigilate, ne intretis in temptationem. „ Et omnis ipse locus perlegitur ibi: et fit denuo oratio. Etiam inde cum ymnis usque ad minimum infans in Gessamani pedibus cum episcopo descendent: ubi pre tam magna turba multitudinis, et fatigati de vigiliis et ieiuniis cotidianis lassi, quia tam magnum montem necesse habent descendere, lente et lente cum ymnis venitur in Gessamani. Candelae autem ecclesiasticae[3] super ducentae paratae sunt propter lumen omni populo. Cum ergo perventum fuerit in Gessamani, fit primum oratio apta, sic dicitur ymnus: item legitur ille locus de evangelio, ubi comprehensus est Dominus. Qui locus ad quod lectus fuerit, tantus rugitus et mugitus totius populi est cum fletu, ut forsan porro ad civitatem gemitus populi omnis auditus sit. Etiam ex illa hora hitur ad civitatem pedibus cum ymnis pervenitur ad portam, et hora, qua incipit quasi homo hominem cognoscere, inde totam per mediam civitatem omnes usque ad unum, maiores atque minores, divites, pauperes, toti ibi parati, specialiter illa die nullus recedit a vigiliis usque in mane. Sic deducitur episcopus a Gessemani usque ad portam, et inde per totam civitatem usque ad Crucem. Ante Crucem autem at ubi ventum fuerit, iam lux quasi clara incipit esse. Ibi denuo legitur ille locus de evangelio, ubi

[1] Luc. XXIII, v. 41.

[2] Ecclesia in loco Gethsemani, absoluta fuit tempore S. Hieronymi, ut ipse scribit: « Gethsemani, locus ubi Salvator ante passionem oravit. Est autem ad radices montis Oliveti nunc ecclesia desuper aedificata. » Et bene Hieronymus eam desuper fuisse indicat, quoniam Gethsemani ire volentibus erat descendendum. Antea fideles eo in loco preces facere consuevisse refert ad v. Eusebius. Errant igitur, qui putant Constantinum eam ecclesiam aedificasse: quae postea, saeculo ferme quinto, nomen S. Mariae accepit, quod eius ibi extare sepulcrum crederetur, et creditur.

[3] Candelae ecclesiasticae funalia fuisse videntur, quae erant disposita secus viam.

adducitur Dominus ad Pilatum, et omnia quaecumque scripta sunt, Pilatum ad Dominum dixisse aut ad Iudeos totum legitur. Postmodum autem alloquitur episcopus populum, confortans eos, quoniam et tota nocte laboraverunt, adhuc laboraturi sint ipsa die, ut non lassentur, sed habeant spem in Domino, qui eis pro eo labore maiorem mercedem redditurus sit. Et sic confortans eos, ut potest ipse, alloquens dicit eis: Ite interim nunc unusquisque ad domuncellas vestras, sedete vobis et modico, et ad horam prope secundam diei omnes parati estote hic, ut de ea hora usque ad sexta sanctum lignum crucis possitis videre, ad salutem sibi unusquisque nostrum credens profuturum: de hora enim sexta denuo necesse habemus hic omnes convenire in isto loco, id est ante Crucem, ut lectionibus et orationibus usque ad noctem operam demus.

Post hoc ergo missa | facta de Cruce, id est antequam sol 67
procedat, statim unusquisque animosi vadent in Syon orare ad columnam illam, ad quam flagellatus est Dominus[1]. Inde reversi sedent modice in domibus suis, et statim toti parati sunt. Et sic ponitur cathedra episcopo in Golgotha post Crucem, quae stat nunc[2]; residet episcopus hic cathedra: ponitur ante eum mensa sublinteata: stant in giro mensae diacones; et affertur loculus argenteus deauratus, in quo est lignum sanctum crucis[3]; aperitur,

[1] Columna, ad quam Christus caesus est, primitus fuit in domo Caiphae (Itin. Burdigal.): sustinuit postea porticum ecclesiae Sion (S. Hier. Pereg. Paulae): deinde posita est in medio eiusdem ecclesiae (Theod. de t. s. § 6. Arculfus l. I, c. 19).

[2] Golgotha, locus dominicae passionis, medius erat inter Anastasim et Martyrium (S. Eucherius, § 4.): ibi atrium grande, ubi crucifixus est Dominus (Breviarium de Hierosolyma): cathedra episcopi hierosolymitani ibi posita erat, ut ex Peregrinae verbis: « quae stat nunc » depromitur. Cathedra autem S. Iacobi, primi episcopi, summa veneratione in ecclesia Sion servabatur, ut Peregrina ipsa retulit, et legitur in libro Petri Diaconi, *De locis sanctis* (cf. Sulpic. Sever. Vita S. Martini ed. de Prato I p. 389).

[3] Affertur et ponitur in mensa linteo tecta lignum sanctae Crucis, quod in loculo argenteo deaurato conditum erat. Rufinus (Hist. eccl. l. X, c. 8) narrat Helenam ligni salutaris partem vero thecis argenteis conditam dereliquisse in loco: saeculo quinto ineunte S. Porphyrius episcopus Gazensis, qui ante episcopale munus fuit Hierosolymis σταυροφύλαξ, reposuit in aurea theca venerandam Crucem, (Metaphr. 6 Febr.) Ex Breviario de Hierosolyma atque Theodosio addiscimus Crucis loculum eo tempore (anno circ. 530) auro et gemmis exornatum fuisse. Sed, quod caput est, qui esset ritus Crucis adorandae saeculo quarto, hoc loco docemur: de quo et Paulinus ad Severum scripsit (Ep. XI) ex relatu Melaniae Hierosolymis redeuntis.

et profertur; ponitur in mensa quam lignum crucis, quam titulus[1]. Cum ergo positum fuerit in mensa, episcopus sedens de manibus suis summitates de ligno sancto premet: diacones autem in giro stantes custodent. Hoc autem propterea sic custoditur, quia consuetudo est, ut unus et unus omnis populus veniens, tam fideles quam cathecumini, acclinant se ad mensam; osculentur sanctum lignum, et pertranseunt. Et quoniam, nescio quando, dicitur, quidam fixisset morsum et furasset sancto ligno[2]: ideo nunc a diaconibus, qui in giro stant, sic custoditur, ne quis veniens audeat denuo sic facere. Ac sic ergo omnis populus transit, unus et unus, toti acclinantes se, primum de fronte sic de oculis tangentes crucem et titulum: et sic osculantes crucem pertranseunt: manum autem nemo mittit ad tangendum. At ubi autem osculati fuerint crucem, pertransierint, stat diaconus, tenet anulum Salomonis, et cornu illud, de quo reges unguebantur[3], osculantur: et cornu attendent et anulum minus secunda[4] usque

[1] Titulum crucis cum cruce Helenam reperisse accepimus a Chrysostomo (Orat. in Ioann. c. 84), et Rufino (Hist. Eccl. X, 8) et Socrate allegato etiam in Hist. Tripartita (lib. II, c. 17). In Crucis cubiculo servatus erat usque ad ecclesiarum hierosolymitanarum eversionem a Chosroe Persarum rege patratam: nam Antoninus illum vidit, adoravitque (a. circ. 570): « Titulum, qui super caput Iesu positus erat, et in quo scriptum est — *Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum* — vidi, et in manu mea tenui, et osculatus sum » (cap. 20).

[2] Meminit Procopius (Bell. Pers. l. II, cap. 11) quemdam Syrum segmentum Crucis furasse, quod Apameae servabatur cum magna veneratione; non autem totum lignum furavit morsu, quia cubitale erat.

[3] Anulum Salomonis et cornu regium a Vespasiano Romam allata esse una cum manubiis templi iudaici non sine quadam causa suspicor, postea a Constantino vel a Constantio ecclesiae Golgothae concessa. Compertum enim est eiusdem templi vasa Romae ad extremum usque tempus servata esse, quae Gensericus Vandalorum rex rapuit et in Africam asportavit (Procop. Bell. Vandal. l. II, c. 9). Saeculo sexto de utroque mentio adhuc fit a peregrinantibus per loca sancta. Breviar de Hier: « Ubi (in cubiculo Crucis) est illud cornu, quo David unctus est et Salomon, et ille anulus ibidem, unde Salomon sigillavit sermones, et est de electro. » Cf. Theodosium, § 3.

[4] Lauda monachi diligentiam, qui archetypi scripturam sive evanidam sive lacera charta deperditam indicavit, uno et altero hiatu, versum interrumpens. Scripserat enim *secunda feria*, sed vocem *feria* deinde expunxit. Parum deest: describitur autem adoratio crucis a singulis peracta, quae propter populi multitudinem a secunda hora diei ad horam usque sextam protrahebatur.

ad horam sextam omnis populus transit per unum ostium intrans per alterum: per alterum perexiens [1], quoniam hoc in eo loco fit, in quo pridie, id est quinta feria, oblatio facta est. At ubi cum sexta hora se fecerit, sic itur ante Crucem, sive pluvia sive estus sit; quia ipse locus subdivanus est, id est quasi atrium valde grande et pulchrum satis, quod est inter Cruce et Anastase [2]: ibi ergo omnis populus se colliget, ita ut nec aperiri [3] possit. Episcopo autem cathedra ponitur ante Cruce: et de sexta usque ad nona aliud nihil fit, nisi leguntur lectiones sic: id est, ita legitur primus de psalmis, ubicumque de passione Domini legitur; et de apostolo sive de epistolis apostolorum, vel de actionibus, ubicumque de passione Domini dixerunt, nec non de evangeliis leguntur loca, ubi patitur: item legitur de prophetis, ubi passurum Dominum dixerunt: item legitur de evangeliis, ubi passionem dicit. Ac sic ergo ab hora sexta usque ad horam nonam semper sic leguntur lectiones, aut dicuntur ymni, ut ostendatur omni populo, quia quicquid dixerunt prophetae futurum de passione Domini, ostendatur tam per evangelia quam etiam per apostolorum scripturas factum esse. Et sic per illas tres horas docetur populus omnis nihil factum esse, quod non prius dictum sit, et nihil dictum est et quod non totum completum sit. | Semper interponuntur ora- 68
tiones, quae orationes et ipsae aptae diei sunt. Ad singulas autem lectiones et orationes tantus affectus et gemitus totius populi est, ut mirum sit: nam nullus est neque maior neque minor, qui in illa die illis tribus horis tantum ploret, quantum nec existimari potest, Dominum pro nobis ea passum fuisse. Post hoc cum ceperit se iam hora nona facere, legitur iam ille locus de evangelio cata Iohannem, ubi reddidit spiritum: quo lecto, iam fit oratio et missa. At ubi autem missa facta fuerit de ante Cruce, statim omnia in ecclesia maiore ad Martyrium aguntur ea, quae

[1] Ostium erat argenteum, ut ex Breviario: « Habet ostium argenteum, ubi fuit crux Domini exposita. »

[2] Atrium (quin immo tria atria) et porticus, quae duplici ordine atrium exornabant, ab Eusebio perbelle delineantur: omnia enim magnificentissime Constantinus perfecerat.

[3] Quoniam sacer Calvariae monticulus erat cancellis argenteis circumdatus ac septus, intellige ostia prae multitudine ibi collecta aperiri non potuisse.

per ipsa septimana de hora nona, qua ad Martyrium convenitur, consueverunt agi usque ad sero per ipsa septimana. Missa autem facta de Martyrium venitur ad Anastase; et ibi cum ventum fuerit, legitur ille locus de evangelio, ubi petit corpus Domini Joseph a Pilato, *et* ponet illud in sepulcro novo. Hoc autem lecto, fit oratio, benedicuntur cathecumini, sic fit missa[1]. Ipsa autem die non mittitur vox, ut pervigiletur ad Anastase, quoniam scit populum fatigatum esse: sed consuetudo est, ut pervigiletur ibi. Ac sic qui vult de populo, immo qui possunt, vigilant: qui autem non possunt, non vigilant ibi usque in mane: clerici autem vigilant ibi, id est quia ut fortiores sunt, aut iuveniores[2]: et tota nocte dicuntur ibi ymni et antiphonae usque ad mane. Maxima autem turba pervigilant: alii de sera, alii de media nocte, qui ut possunt.

Sabbato autem alia die iuxta consuetudinem fit ad tertia: item fit ad sexta: ad nonam autem iam non fit sabbato, sed parantur vigiliae paschales in ecclesia maiori, id est in Martyrium. Vigiliae autem paschales sic sunt, quemadmodum ad nos, hoc solum hic amplius fit: quod infantes, cum baptidiati fuerint, et vestiti quemadmodum exient de fonte[3], simul cum episcopo primum ad Anastase ducuntur. Intrat episcopus intro cancellos Anastasis: dicitur unus ymnus; et sic facit orationem episcopus pro eis, et sic venit

[1] Nota tres conventus vespertinos celebrari feria sexta in Parasceve, unum ante Crucem, alterum in ecclesia Martyrii, tertium in Anastase.

[2] Clerici ab ipso iuventutis flore ecclesiae serviendae addicebantur.

[3] Neophyti omnes appellabantur infantes, propterea quod in novam vitam renascebantur. S. Ioannes in epist. I, c. 2, v. 14: « Scribo vobis, infantes, quoniam cognovistis Patrem. » Sacro fonte exeuntes vestes albas induebant, ecclesiam mox subibant praeeunte episcopo. S. Paulinus ep. 21 ad Severum:

« Inde parens sacro ducit de fonte Sacerdos
Infantes niveos corpore, corde, habitu. »

Solemnis ecclesiae mos fuit sabbato sancto in vigilia Paschae resurrectionis neophytos baptizare, ut intelligeretur eos cum Christo a morte ad immortalem vitam resurgere. De baptisterio prope Anastasim loquitur Itinerarium Burdigalense: « Iussu imperatoris basilica facta est, id est, dominicum mirae pulchritudinis, habens ad latus exceptoria, unde aqua levatur, et balneum a tergo, ubi infantes (videlicet neophyti) lavantur. » Baptisterio adiunctum erat vestibulum, S. Cyrill. Catech. I.

in ecclesiam maiorem cum eis. Ubi iuxta consuetudinem omnis populus vigilat: aguntur ibi, quae consuetudinis est etiam et aput nos[1] et facta oblatione fit missa. Et post facta missa vigiliarum in ecclesia maiore, statim cum ymnis venitur ad Anastase: et ibi denuo legitur ille locus evangelii resurrectionis. Fit oratio; et denuo offeret episcopus; sed totum ad momentum[2] fit propter populum, ne diutius tardetur, et sic iam dimittetur populus. Ea autem hora fit missa vigiliarum ipsa die, qua hora et aput nos.

Sero autem illi dies paschales sic attenduntur, quemadmodum et ad nos: et ordine suo fiunt missae per octo dies paschales, sicut et ubique fit pascha usque ad octavas. Hic autem ipse ornatus est, et ipsa compositio, et per octo dies paschae, quae et per epiphania, tam in ecclesia maiore, quam ad Anastase, aut ad Crucem, vel | in Eleona, sed et in Bethleem, nec non etiam in 69
Lazariu, vel ubique, quia dies paschales sunt. Proceditur autem ipsa die dominica prima in ecclesia maiore, id est ad Martyrium: et secunda feria, et tertia feria, ubi ita tamen, ut semper, missa facta de Martyrio, ad Anastase veniatur cum ymnis. Quarta feria autem in Eleona proceditur: quinta feria ad Anastase: sexta feria in Syon: sabbato ante Cruce: dominica autem die, id est octavis, denuo in ecclesia maiore, id est ad Martyrium. Ipsis autem octo diebus paschalibus quotidie post prandium episcopus cum omni clero et omnibus infantibus, id est qui baptizati fuerint, et omnibus, qui aputactitae sunt viri ac feminae, nec non etiam et de plebe, quanti volunt, in Eleona ascendent. Dicuntur ymni, fiunt orationes, tam in ecclesia, quae in Eleona est, in qua est spelunca, in qua[3] docebat Jesus discipulos: tam etiam in Imbomon, id est in eo loco, de quo Dominus ascendit in coelis. Et posteaquam dicti fuerint psalmi, et oratio facta fuerit, inde usque ad Anastase

[1] Usque ad mediam noctem populus in ecclesia vigilabat, nam etiam in ordine romano legitur: « In vigilia Resurrectionis Domini ante mediam noctem non est dimittendus populus iuxta canonum sanctiones. » Et antea S. Hieronymus ad Laetam scripsit: « In die vigiliarum Paschae, ante noctis dimidium populos demittere non licet. »

[2] Festinanter fit.

[3] Super v. *in qua* scriptus est ex contrario nexus duarum litterarum uncialium, PE, duobus punctis superpositis, quae litterae initiales sunt vocabuli « Peregrinatio. »

cum ymnis descenditur hora lucernae: hoc per totos octo dies fit. Sane dominica die per pascha post missa lucernarii, id est de Anastase, omnis populus cum ymnis in Syon ducet. Ubi cum ventum fuerit, dicuntur ymni apti diei et loco: fit oratio, et legitur ille locus de evangelio, ubi eadem die Dominus in eodem loco, ubi ipsa ecclesia nunc in Syon est, clausis ostiis, ingressus est discipulis: id est quando tunc unus ex discipulis ibi non erat, id est Thomas, qua*ndo* reversus est, et dicentibus ei aliis apostolis, quia Dominum vidissent, ille dixit: " Non credo, nisi videro. „ Hoc lecto, fit denuo oratio: benedicuntur cathecumini, item fideles: et revertuntur unusquisque ad domum suam sera, hora forsitan noctis secunda.

Item octavis paschae, id est die dominica: statim post sexta omnis populus cum episcopo ad Eleona ascendit: primum in ecclesia, quae ibi est, aliquandiu sedetur: dicuntur ymni, dicuntur antiphonae aptae diei et loco; fiunt orationes similiter aptae diei et loco. Denuo inde cum ymnis itur in Imbomon susu similiter, et ibi ea aguntur, quae et illic: et cum ceperit hora esse, iam omnis populus et omnes aputactitae deducunt episcopum cum ymnis usque ad Anastase. Ea autem hora pervenitur ad Anastase, qua lucernarium fieri solet. Fit ergo lucernarium tam ad Anastase, quam ad Crucem: et inde omnis populus usque ad unum cum ymnis ducunt episcopum usque ad Syon. Ubi cum ventum fuerit, similiter dicuntur ymni apti loco et diei: legitur denuo et ille locus de evangelio, ubi octavis paschae ingressus est Dominus, ubi erant discipuli, et arguet Thomam, quare incredulus fuisset. Et tunc omnis ipsa lectio perlegitur: postmodum fit oratio: benedictis *tam* cathecuminis quam fidelibus: iuxta consuetudinem revertuntur unusquisque ad domum suam, similiter, ut die dominica paschae, hora noctis secunda.

A pascha autem usque ad quinquagesima, id est pentecosten, hic penitus nemo ieiunat, nec ipsi apudactitae qui sunt. Nam semper ipsos dies sicut toto anno, ita ad Anastase, de pullo primo
70 usque ad mane consuetudinaria aguntur: | similiter et ad sexta et ad lucernare. Dominicis autem diebus semper in Martyrio, id est in ecclesia maiore, proceditur iuxta consuetudinem; et inde itur ad Anastase cum ymnis. Quarta feria autem et sexta feria,

quoniam ipsis diebus nemo ieiunatur, in Syon proceditur sed mane: fit missa ordine suo.

Die eadem quadragesimarum post pascha, idest quinta feria [1], pridie omnes post sexta, id est quarta feria, in Bethleem vadunt propter vigilias celebrandas. Fiunt autem vigiliae in ecclesia in Bethleem, in qua ecclesia spelunca est, ubi natus est Dominus [2]. Alia die autem, id est quinta feria quadragesimarum, celebratur missa ordine suo, ita ut et presbiteri et episcopus predicent, dicentes apte diei et loco: et postmodum sera revertuntur unusquisque in Ierusolima.

Quinquagesimarum autem die, id est dominica, qua die maximus labor est populo, aguntur omnia sic de pullo quidem primo iuxta consuetudinem: vigilatur in Anastase, ut legat episcopus locum illum evangelii, qui semper dominica die legitur, id est resurrectionem Domini: et postmodum ea aguntur in Anastase, quae consuetudinaria sunt, sicut toto anno. Cum autem mane factum fuerit, proceditur omnis populus in ecclesia maiore, id est ad Martyrium: aguntur etiam omnia, quae consuetudinaria sunt agi: predicant presbiteri, postmodum episcopus: aguntur omnia legitima, id est offertur iuxta consuetudinem, qua dominica die consuevit fieri; sed eadem adceleratur missa in Martyrium, ut ante hora tertia fiat. Quemadmodum enim missa facta fuerit ad

[1] Festivitas Ascensionis Domini, quae colebatur die quadragesima post Pascha Resurrectionis: pridie, id est die Mercurii, post horam sextam Bethleem proficiscebantur ad vigilias celebrandas.

[2] Quia non erat locus in diversorio Maria et Ioseph in antrum, ubi praesepe inventum est, se receperunt. De spelunca, in qua natus est Iesus, testimonia sunt antiquissima ac probatissima. Iustinus m. in dialogo cum Triphone: «in specum quemdam vico eo proximum concessit (Ioseph)». Origenes in Celsum, l. I, c. 51: «Intelligat et in Betlehem speluncam ostendi, ubi ille est natus, et in spelunca praesepe: quod utique et in illis locis pervulgatum est». S. Hieronymus, qui eidem ecclesiae, ubi spelunca erat, praefuit, ita scribit de s. Paula: «Inde Bethlehem ingressa, et in specum Salvatoris introiens». Antea ipse in epistola Paulae et Eustachii ad Marcellam: «Verum, ut ad villulam Christi et Mariae diversorium veniamus, quo sermone, qua voce, speluncam tibi possumus Salvatoris exponere?» Et subiicit: «Ecce in hoc parvo terrae foramine caelorum conditor natus est». Antoninus m. cap. 29: «Et Bethlehem est locus splendidus: servi Dei multi. Ibi est spelunca, ubi natus est Dominus: in qua est praesepe ex auro et argento ornatum, et die noctuque luminaria ibi fiunt. Os vero speluncae ad ingrediendum angustum omnino».

Martyrium, omnis populus usque ad unum cum ymnis ducent episcopum in Syon: sed hora tertia plena in Syon sint. Ubi cum ventum fuerit, legitur ille locus de Actus apostolorum, ubi descendit spiritus, ut omnes linguae intelligerent, quae dicebantur: postmodum fit ordine suo missa. Nam presbiteri de hoc ipsud [1], quod lectum est (quia ipse est locus in Syon), alia modo ecclesia est, ubi quondam post passionem Domini collecta erat multitudo cum apostolis, qua*ndo* hoc factum est, ut superius diximus, legunt ibi de actibus apostolorum. Postmodum fit ordine suo missa: offertur et ibi etiam: ut dimittatur populus, mittit vocem archidiaconus, et dicet: Hodie statim post sexta omnes in Eleona parati simus Imbomon. Revertitur ergo omnis populus unusquisque in domum suam resumere se, et statim post prandium ascenditur mons Oliveti id est in Eleona unusquisque, quomodo patet iter, ut nullus christianus remaneat in civitate, qui non omnis vadent. Quemadmodum ergo subito fuerit in monte Oliveti, id est in Eleona, primum itur in Imbomon, id est in eo loco, unde ascendit Dominus in coelis: et ibi sedet episcopus, et presbiteri, sedet omnis populus: leguntur ibi lectiones, dicuntur interposite ymni, dicuntur et antiphonae aptae diei et loco; orationes etiam,
71 quae interponuntur, | semper tales pronuntiationes habent, ut diei et loco conveniunt: legitur etiam et ille locus de evangelio, ubi dicit de ascensu Domini in coelis post resurrectionem. Cum autem hoc factum fuerit, benedicuntur cathecumini, sic fideles; et hora iam nona descenditur inde, et cum ymnis itur ad illam ecclesiam, quae et ipsa in Eleona est, id est in qua spelunca sedens docebat Dominus apostolos. Ibi autem cum ventum fuerit, iam est hora plus decima: fit ibi lucernare, fit oratio, benedicuntur cathecumini, et sic fideles etiam. Inde descenditur cum ymnis omnis populus usque ad unum toti cum episcopo, ymnos dicentes vel antiphonas aptas diei ipsi: sic venitur lente et lente usque ad

[1] Ecclesia Sion, quae primo erat domus s. Marci, pristinam et apostolicam formam servaverat, nam Romanos ei, cum sub Tito urbs eversa est, pepercisse Epiphanius tradit (De Ponderib., c. 14). Quo tempore Cyrillus Catechesim sextam exposuit, immutata nondum esse videtur: verum paulo post in aliam ecclesiam conversa est, ut ex his verbis noscere licet: « alia modo ecclesia est. » Magnam basilicam factam esse in Breviario hierosolymitano legimus, matremque omnium ecclesiarum Theodosius (de l. s. cap. 6) non immerito appellat.

Martyrium. Cum autem pervenitur ad portam civitatis, iam nox est, et occurrent candelae ecclesiasticae vel ducentae propter populo: de porta autem, quoniam satis est usque ad ecclesia maiore, id est ad Martyrium, porro hora noctis forsitan secunda pervenitur; quia lente et lente itur totum pro populo, ne fatigentur pedibus. Et apertis balvis maioribus, quae sunt de quintana parte [1], omnis populus intrat in Martyrium cum ymnis et episcopo. Ingressi autem in ecclesia dicuntur ymni: fit oratio: benedicuntur cathecumini, sic fideles: et inde denuo cum ymnis itur ad Anastase. Similiter ad Anastase cum ventum fuerit, dicuntur ymni seu antiphonae: fit oratio: benedicuntur cathecumini, sic fideles: similiter fiet ad Crucem. Denuo inde omnis populus christianus usque ad unum cum ymnis ducunt episcopum usque ad Syon. Ubi cum ventum fuerit, leguntur lectiones aptae: dicuntur psalmi vel antiphonae: fit oratio: benedicuntur cathecumini, et sic fideles, et fit missa. Missa autem facta accedunt omnes ad manum episcopi, et sic revertuntur unusquisque ad domum suam hora noctis forsitan media. Ac sic ergo maximus labor in ea die suffertur: quoniam de pullo primo vigilatum est ad Anastase, et inde per tota die numquam cessatum est; et sic omnia, quae celebrantur protrahuntur, ut nocte media post missa, quae facta fuerit in Syon, omnes ad domos suas revertuntur.

Iam autem de alia die quinquagesimarum omnes ieiunant iuxta consuetudinem sicut toto anno, qui*sque* prout potest, excepta die sabbati et dominica, qua numquam ieiunatur in hisdem locis. Etiam postmodum ceteris diebus ita singula aguntur ut toto anno; id est semper de pullo primo ad Anastase vigiletur. Nam si dominica dies est, primum leget de pullo primo episcopus evangelium iuxta consuetudinem intro Anastase locum resurrectionis Domini, qui semper dominica die legitur [2]: et postmodum ymni seu anti-

[1] Quum atrium ante Martyrii basilicam duplici ordine porticuum constaret, via publica adiacens lateri atrii et basilicae appellabatur quintana ad similitudinem platearum: nam Isidorus, Orig. l. XV, c. 2, haec scribit: « Quintana pars plateae quinta est: qua carpentum progredi potest ». Portae ecclesiae, quae hanc viam prospiciebant, populo devote advenienti aperiebantur.

[2] Traditione profecto apostolica christiani diem dominicum peragere consueverunt, commemorantes resurrectionem Domini. S. Ignat. Epist. ad Magnesianos tradit: « Dominicum diem omnis amans Christi festum celebret, diem resur-

phonae usque ad lucem dicuntur ymni Anastase. Si autem dominica dies non est, tantum quod ymni vel antiphonae similiter de pullo primo usque ad lucem dicuntur in Anastase. Aputactitae omnes vadent: de plebe autem, qui quomodo possunt, vadent:
72 clerici autem | cotidie vicibus: vadent clerici autem de pullo primo, episcopus autem albescente vadet *sem*per, ut missa fiat matutina cum omnibus clericis, excepta dominica die: ea necesse est illum de pullo primo ire, ut evangelium legat in Anastase. Denuo ad horam sextam aguntur, quae consuetudinaria sunt in Anastase; similiter et ad nona: similiter et ad lucernare iuxta consuetudinem, quam consuevit toto anno fieri. Quarta autem et sexta feria semper nona in Syon fit iuxta consuetudinem.

Et illud etiam scribere debui, quemadmodum docentur hi, qui baptidiantur per pascha. Nam qui dat nomen suum, ante diem quadragesimarum dat, et omnium nomina annotat presbiter [1]: hoc est ante illas septimanas octo, quibus dixi hic attendi quadragesima. Cum autem annotaverit omnium nomina presbiter, postmodum alia die de quadragesimis, id est qua inchoantur octo ebdomadae, ponitur episcopo cathedra media ecclesia maiore [2], id est ad Martyrium: sedent hinc et inde presbiteri in cathedris [3], et stant clerici omnes: et sic adducuntur unus et unus competens [4]: si viri sunt cum patribus suis veniunt: si autem feminae cum

rectionis regalem ». S. Augustin. serm. 169 de Verb. Dom. « Domini resuscitatio conservavit nobis diem dominicum, qui vocatur dominicus, quia eo die Dominus resurrexit ». Inter haereticos (saec. secundo) Ebionaei similiter dominicam observabant, teste Eusebio (Hist. l. III, c. 27): « Diebus vero dominicis eadem, quae nos, in memoriam resurrectionis Domini peragunt ».

[1] Qui baptismum accipere et Christiani fieri volebant, sua nomina dabant. S. Cyrill. Procatechesis: « Hactenus nomina dedistis: haec vobis ad militiam vocatio ».

[2] Hanc cathedram in ecclesia maiore in medio locatam eandem fuisse arbitramur, quae Iacobi apostoli dicebatur, servata et summopere culta in ecclesia hierosolymitana. Vide Euseb. l. VII, cap. I, et Chrysost. Hom. de duodecim apostolis.

[3] Cathedras dicit sedes presbyterorum, qui hinc inde ad latus episcopi sedebant, quoniam illae secundi throni (δευτέροι θρόνοι) in sacro ordine appellabantur.

[4] Eo tempore competentes et subscripti dicebantur, qui baptismum petentes nomen suum dederant. S. August. De cura pro mortuis cap. 12: « Dedit nomen inter alios competentes, pariter cum plurimis incognitus nobis ».

matribus suis. Et sic singulariter interrogat episcopus vicinos eius, qui intravit, dicens: si bonae vitae est hic, si parentibus deferet, si ebriacus non est aut vanus, et singula vitia, quae sunt tamen graviora in homine, requiret. Ut si probaverit sine reprehensione esse de his omnibus, quibus requisivit praesentibus testibus, annotat ipse manu sua nomen illius [1]. Si autem in aliquo accusatur, iubet illum foras exire, dicens: emendet se, et cum emendaverit se, tunc accedet ad lavacrum [2]. Sic de viris, sic de mulieribus requirens dicit. Si quis autem peregrinus est, nisi testimonia habuerit, qui eum noverint, non tam facile accedet ad baptismum.

Hoc autem, dominae sorores, ne existimaretis sine ratione fieri scribere debui [3]. Consuetudo est enim hic talis, ut qui accedunt ad baptismum per ipsos dies quadraginta, quibus ieiunatur, primum mature a clericis exorcizentur [4], mox missa facta fuerit de Anastase matutina. Et statim ponitur cathedra episcopo ad Martyrium in ecclesia maiore [5], et sedent omnes in giro prope episcopo, qui baptidiandi sunt, tam viri quam mulieres, stantes loco etiam patres vel matres, nec non etiam qui volunt audire de plebe, omnes intrant et sedent, sed fideles. Cathecumenus autem ibi non intrat [6], tunc qua*ndo* episcopus docet illos legem. Id est sic inchoans a genese per illos dies quadraginta percurret omnes scrip-

[1] Gregor. Nyss. Adlocutio ad Competentes: « Date mihi nomina, ut ego ea imprimam libris sensibilibus, et scribam atramento ».

[2] Rem confirmat S. Cyrillus in sua Procatechesi: « Egredere potius nunc opportune, et ingredere cras opportunissime ».

[3] Quorsum de catechumenis baptizandis scribere debuit? quid ei rationis, quid officii ad scribendum? Non una quidem disciplina, ut compertum est, in ecclesia universa tunc viguit, ita ut accurata descriptio ritus, quo hierosolymitana inter caeteras antiquissima utebatur, valde opportuna hoc loco visa sit.

[4] Notissimum est clericos munus obisse exorcizandi catechumenos ante baptismum: sed ignotum, quod in ecclesia hierosolymitana per singulos quadragesimae dies prima luce competentes exorcizarentur.

[5] Si quando non in ecclesia Martyrii sed in Anastase catecheses fierent, episcopus ipse fideles monebat. S. Cyril. Catech. 18: « Post sanctam Paschatis diem..... Statim post synaxim in sanctum Resurrectionis locum ingredientes alias Deo volente, catecheses audietis ». Nam S. Cyrillus ipse suas catecheses habuit in Golgothae, non in Resurrectionis ecclesia. Catech. XIII, c. 39.

[6] Catechumenus, qui non competens, qui nondum erat ad baptismum electus et candidatus.

turas [1], primum exponens carnaliter [2], et sic illud solvens spiritualiter. Nec non etiam et de resurrectione, similiter omnia de fide docentur per illos dies [3]: hoc autem cathecisis appellatur. Etiam quando completae fuerint septimanae quinque, a quo docentur, tunc accipient simbolum [4]: cuius simboli rationem, similiter omnium scripturarum ratione exponet eis, singulorum sermonum
73 primum | carnaliter, et sic spiritualiter: ita et simbolum exponet. Ac sic est, ut in hisdem locis omnes fideles sequantur scripturas, quando leguntur in ecclesia, quia omnes docentur per illos dies quadraginta, id est ab hora prima usque ad horam tertiam, quoniam per tres horas fit cathecisin. Deus autem scit, dominae sorores, quoniam maiores voces sunt fidelium, qui ad audiendum intrant in cathecisin, ad ea, quae dicuntur vel exponuntur per episcopum, quam quando sedet, et predicat in ecclesia ad singula, quae taliter exponuntur. Missa autem facta cathecisis [5] hora iam tertia, statim inde cum ymnis ducitur episcopus ad Anastase, et fit missa ad tertia: ac sic tribus horis docentur ad die*m* per septimanas septem. Octava enim septimana quadragesimarum, id est quae appellatur septimana maior, iam vacat eos doceri, ut impleantur ea, quae superius sunt. Cum autem iam transierint septem septimanae, superat illa una septimana paschalis, quam hic appellant septimana maior. Iam tunc venit episcopus mane in ecclesia maiore ad Martyrium, retro in absida post altarium po-

[1] Idem nos docet S. Hieronymus, Epist LXI ad Pammachium: « Consuetudo autem apud nos (Palestinae) istiusmodi est, ut iis, qui baptizandi sunt, per quadraginta dies publice tradamus sanctam et adorandam Trinitatem ».

[2] Carnaliter, ad litteram, id est sensu historico.

[3] S. Cyrill. Procath.: « Audire oportet de Deo vivente, audire opus est de Christo, audire necesse est de resurrectione ».

[4] Quale symbolum? non Nicaenum, sed Hierosolymitanum; nam saeculo quarto non omnes ecclesiae orientales, inter quas hierosolymitana, Nicaenum adhibuerunt (Lupi, Chr. Scholia in Symb. Nic. cap. IV et V). De quo symbolo eruditissime disseruit Touttée in S. Cyrilli opera p. 79 et seqq. Competentes symbolum accipiebant ex ore episcopi, memoriaeque mandabant. S. Cyrillus in procatechesi et in catechesibus haec monet, quorum meminit et S. Augustinus: « Accipite symbolum, et cum acceperitis in cordibus scribite. Symbolum nemo scribit, ut legi possit; sed ad recensendum, ne forte deleat oblivio, quod tradidit diligentia, sit vobis codex vestra memoria ».

[5] Id est completa catechesi et dimissis cathecumenis hora tertia.

nitur cathedra episcopo, et ibi unus et unus vadet viri cum patre suo, aut mulier cum matre sua, et reddet simbolum episcopo [1]. Reddito autem simbolo episcopo, alloquitur omnes episcopus, et dicet: Per istas septem septimanas legem omnem edocti estis scripturarum: nec non etiam de fide audistis: audistis etiam et de resurrectione carnis, sed et singuli, omnem rationem, ut potuistis: tamen adhuc cathecumini audire verbum, aut quae sunt mysterii altioris, id est ipsius baptismi, quia adhuc cathecumini audire non potestis: et ne extimetis aliquid sine ratione fieri, cum in nomine Dei baptidiati fueritis, per octo dies paschales, post missa facta de ecclesia, in Anastase audietis: quia adhuc cathecumini estis, misteria Dei secretiora dici vobis non possunt [2].

Post autem venerint dies paschae, per illos octo dies, id est a pascha usque ad octavas, quemadmodum missa facta fuerit de ecclesia et itur cum ymnis ad Anastase, mox fit oratio, benedicuntur fideles, et stat episcopus incumbens in cancello interiore, qui est in spelunca Anastasis, et exponet omnia, quae aguntur in baptismo [3]. Illa autem hora cathecuminus nullus accedet ad Anastase: tantum neofiti et fideles, qui volunt audire mysteria, in Anastase intrant: clauduntur autem ostia, ne qui cathecuminus se dirigat. Disputante autem episcopo singula et narrante, tantae voces sunt collaudantium, ut porro foras ecclesia audiantur voces eorum [4]. Vere enim ita misteria omnia absolvent, ut nullus non possit commoveri ad ea, quae audit sic exponi. Et quoniam in ea provincia pars populi et grece et siriste novit, pars etiam alia per se grece, aliqua etiam pars tantum siriste: itaque quoniam episcopus licet siriste noverit, tamen semper grece loquitur,

[1] Recitatio symboli quod catechumeni reddebant episcopo, fiebat mane diei Palmarum: sed ad illud tradendum feriam quintam ante Pascha indixerunt Concil. Laodic. can. 46 et Trullanum can. 78, et sabbatum paschale ecclesia Romana (Sacram. Rom. eccl. l. I n. 42).

[2] Viget pervetusta arcani disciplina, nefas esse sacra mysteria et sacramenta praesertim baptismi et eucharistiae ethnicis et catechumenis aperire.

[3] Hoc tempus designat S. Cyrillus (Catech. XXIII, cap. 33) ad neophytos de christianae fidei mysteriis erudiendos.

[4] S. Cyrillus populum, cuius plausu oratio eius excepta et interrupta erat, hisce admonet verbis (Catech. XIII): « Vide locum Golgothae.... Adclamas cum praeconio tamquam assentiens, vide ne aliquando in tempore persecutionis neges ».

et numquam siriste [1]. Itaque ergo stat semper presbiter, qui, epi-
74 scopo grece dicente, siriste interpretatur, ut omnes audiant: | et exponuntur lectiones etiam, quaecumque in ecclesia leguntur: quia necesse est grece legi, semper stat, qui siriste interpretatur propter populum, ut semper discant. Sane quicumque hic latini sunt, id est qui nec siriste nec grece noverunt, ne contristentur, et ipsis exponit episcopus, quia sunt alii fratres et sorores greci latini, qui latine exponunt eis. Illud autem hic ante omnia valde gratum fit, et valde memorabile, ut semper tam ymni quam antiphonae et lectiones, nec non etiam et orationes, quas dicet episcopus, tales pronuntiationes habeant, ut et diei, qui celebratur, et loco, in quo agitur, aptae et convenientes sunt semper.

Item dies enceniarum appellantur, quando sancta ecclesia, quae in Golgotha est, quam Martyrium vocant, consecrata est Deo: sed et sancta ecclesia, quae est ad Anastase, id est in eo loco, ubi Dominus resurrexit post passionem, ea die et ipsa consacrata est Deo [2]. Harum ergo ecclesiarum sanctarum encenia cum summo honore celebrantur: quoniam crux Domini inventa est ipsa die. Et ideo propter hoc ita ordinatum est, ut quando primum sanctae ecclesiae suprascriptae consecrabantur, ea dies esset, qua crux Domini fuerat inventa [3], et simul omni laetitia eadem die celebra-

[1] Saeculo quarto et multo antea lingua graeca ab ecclesia hierosolymitana adhibebatur in sacris. Graece scripta est liturgia S. Iacobi minoris, graece Cyrillus concionabatur, graece episcopi hierosolymitani scripserunt. Qua de re vide Renaudotium, de Liturgiis orientalium; Tillemontium, *Mémoires* t. I in S. Iacobo minore; Lamium, De eruditione Apostolorum, et alios.

[2] Festum Encaeniarum ecclesiarum hierosolymitanarum die decima tertia septembris quotannis recurrebat. Qua de re vide Valesium in notis ad Euseb. De vita Constantini l. IV, cap. 46. Adde etiam Kalendarium eccl. Syriacae: Septembris 13, Encaenia templi Hierusalem; 14 Exaltatio Crucis.

[3] Festum inventionis sanctae Crucis in ecclesia occidentali celebratur die tertia maii, cuius rei testis antiquior Beda non superest. Epistola enim Eusebii pontificis ad episcopos Campaniae et Tusciae de die crucis inventae apocrypha a viris doctissimis existimatur (Florentini, Vetustius Occid. eccl. Martyr. V nonas Maias): neque plurimi facienda sunt Kalendaria, quae, quamvis antiquitatem redolent, inter se tanta de re dissentire videntur. Quae quum Pagius, vir emunctae naris, animadvertisset, in eruditissimo commentario ad annales Baronii (ann. 335) haec subiunxit: « Dedicatio ecclesiae hierosolymitanae peracta idibus septembris, id est, die XIII septembris, ut docent Nicephorus l. VIII, c. 30, Typicum sancti Sabae, Menologium Graecorum, ac Sophronius de Exaltatione sanctae Crucis. Ecclesia tamen tam occidentalis quam orientalis festum exaltationis s. Crucis

rentur. Et hoc per scripturas invenitur, quod ea dies sit enceniarum, qua et sanctus Salomon, consummata domo Dei, quam edificaverat, steterit ante altarium Dei et oraverit, sicut scriptum est in libris paralipomenon [1].

Hi ergo dies enceniarum cum venerint, octo diebus attenduntur [2]: nam ante plurimos dies incipiunt se undique colligere: ubi non solum monachorum vel *aput*actito*rum* de diversis provinciis, id est tam de Mesopotamia, vel Syria, vel de Egypto, aut Thebaida, ubi plurimi monazontes sunt, sed et de diversis omnibus locis vel provinciis; nullus est enim, qui non se eadem die in Ierusolima tendat ad tantam laetitiam et tam honorabiles dies: seculares autem tam viri quam feminae fideli animo propter diem sanctum similiter, sed et *de* omnibus provinciis isdem diebus Ierusolima *se* colligunt. Episcopi autem, quando parvi fuerint, hisdem diebus Ierusolima plus quadraginta aut quinquaginta sunt [3]; et cum illis veniunt multi clerici sui. Et quid plura? putat se maximum peccatum incurrisse, qui hisdem diebus tantae sollemnitati inter non fuerit; si tamen nulla necessitas contraria fuerit, quae hominem a bono proposito retinet. His ergo diebus enceniarum ipse ornatus omnium ecclesiarum est, qui et per pascha vel per epiphania: et ita per singulos dies diversis locis sanctis proceditur, ut per pascha vel per epiphania. Nam prima et secunda die in

celebrat die XIV septembris, sive quia eo die Crux inventa, sive ob aliam rationem hactenus ignotam». Traditio autem, quae XIV diem septembris statuit, fortissimis fulcitur argumentis. Nam praeter Peregrinam, quae id ipsum denuo asserit, habemus Andream Cretensem, quem doctissimus Gretserus producit in opere, De Cruce, l. I, cap. 62; et Theodosium (De terra sancta cap. 5): « Quando inventa est (Crux) ab Helena, matre Constantini, XVII kal. octobris, per septem dies in Hierusalem ad sanctum sepulcrum Domini missae celebrantur, et ipsa crux ostenditur ».

[1] Regum l. III, c. 8.

[2] Sozomenus septem non octo dies solemnitatem encaeniarum productam esse scribit (Hist. E. l. II. cap. 26): « Solemnem quotannis festivitatem admodum splendide hierosolymitana celebrat ecclesia: ideo ut baptismi quoque sacramenta eo die tradantur, et per continuos septem dies collectae fiant: multique ex omni fere terrarum orbe conveniunt, qui huius festivitatis tempore ad sacra loca publice occurrunt ».

[3] Congregata episcoporum frequentia ad encaenias recolendas occasionem praebuit, ut duo concilia Hierosolymis habita fuerint; unum anno 350 in causa s. Athanasii, alterum anno 518 pro unione ecclesiae grecae et latinae.

ecclesia maiore, quae appellatur Martyrium, proceditur. Item tertia die in Eleona, id est in ecclesia, quae est in ipso monte, a quo ascendit Dominus in coelis post passionem, intra qua ecclesia est spelunca illa, in qua docebat Dominus apostolos in monte oliveti. Quarta autem die [1] . . . . . .

. . . . . .

[1] Illud, *quarta autem die*, tenuioribus litteris scriptum est ad indicandum sequentis quaternionis initium.

PETRI DIACONI

LIBER DE LOCIS SANCTIS

PETRI DIACONI

LIBER

DE LOCIS SANCTIS

INCIPIT prologus Petri Diaconi Casinensis ad Guibaldum Casinensem et Stabulensem Abbatem in libro de Locis Sanctis.

Domino suo, ac patri in Christo venerabili Guibaldo Dei gratia sacri Casini Montis abbati [1], Petrus Casinensis Diaconus debitae obedientiae famulatum. Quanto cupidinis igne, Pater in Christo venerande, exarserim, ac quali quantove desiderio, ut vos omnipotens Deus de adversis eriperet, exoptaverim, ipsum Deum invoco testem, quem mentis abdita, quem conscientiae occulta non fallunt, qui et de ipsis animi motibus generis arbiter creditur futurus humani. Sed quia juxta Prophetae elogium, in manu hominum non est via ejus, nec ab homine, sed a Domino gressus hominis diriguntur, nostris id facinoribus exigentibus, non est factum, quod humana aviditas concupivit, sed quae Deus arbiter meritis humanis competere iudicavit. Nam cum omnium pravorum crassante impietate ecclesie Dei status cotidie labefactari cernatur; et fere, ut ita dicam, nullus adversus eos insurgit pro domo Israhel, partim amore, partim timore saecularium potestatum: idcirco augustae memoriae Dominus noster imperator Lotharius vestram beatitudinem in casinensi cenobio abbatem instituit [2], ut ea, quae ad correctionem malorum et salutem bonorum attinent, sollicite ac diligenter pertractares, et effrenatos refrenares, ac superbos humiliares: quatenus recuperata justitia, et restaurata religione,

[1] Guibaldus Montis Casini abbas fuit a XIII Kal. octobris ad IV nonas novembris a. 1137, atque mox propter temporum difficultates se munere abdicavit. Gattula, Hist. Abb. Cassinensis P. II. pag. 331.

[2] Anno 1137, quum Lotharius imperator Casini moraretur, a monachis gravi discordia commotis efflagitatus est, ut eis abbatem eligeret: ille aliquot dies cunctatus tandem Guibaldum renunciavit. Petr. Diac. Chron. Cassin. l. IV, c. 124.

coetus ecclesiasticus sibi juste ac misericorditer servire, ac pro romani imperii statu, Dei omnipotentis clementiam exorare queat. Unde non immerito ab omnibus probis ac sapientibus diligeris, ac veneraris. Nam quis tanti viri familiaritatem spernat? affabilitatem contempnat? industriam fugiat? Nam, ut omittam caetera maxima et egregia vestri ingenii monumenta insignia, cunctos precellentis romani imperii sapientes tulliana eloquentia superas, et antecessorum vestrorum largam munificentiam omnibus horis momentisque praecellis. Tantis inquam, et talibus vos cernens sertis redimitum et laureis decoratum, Itinerarium de locis sanctis a nobis utcumque exaratum, et ex omnibus, ut ita dicam, libris collectum [1], vestrae Paternitati destinare curavi, poscens id a vestra eminentia roborari, in quo rogo non dictantis ignaviam sed materiam adtendatis utillimam. Nec novi vos et incognita actenus aliquid in hoc Itinerario ediscituros, sed ea, quae jam viva voce illis referentibus, qui ad sepulchrum Domini perrexerunt, edidicistis, vel ea, quae per volumina diversa librorum legistis, nos hic noveritis collegisse. Quae autem indeclinabilia et immania impedimenta a perfidis et scelestis utroque genu claudicantibus nobis obstiterint, non jam Deum verum, vos ipsos conscios, vos ipsos fideles inde clamaverim testes. Ceterum ad tantillum spatii, quod e largitate divinae indulgentiae relictum est, istud opusculum caelesti munificentia edidi; confidens nichilominus de Deo, de nostris aemulis quandoque nobis victoriam collaturum. Sicut enim nunquam fit opus solidum, si artifex omnia, prout ratio poscit, non aptet, sic omnis scriptor, manans multimoda verbositate, nullam habebit valentiam edendi scripturam dulcedine fertam, prout Oratius strenuissimus orator in scriptis suis reliquid, dicens:

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci:

[1] Quamquam ipse in suo Chronico (l. IV, c. 67) eadem, quae hic scribit, adfirmat: « De terra repromissionis, Itinerarium ex omnibus veteribus libris collegit, et Guibaldo Cassinensi abbati dicavit; » tamen, ut patebit infra, perpaucos libros conquisivit. Quorum quidem primam et maiorem partem occupavit Beda in libro « De locis sanctis » quem totum Petrus excripsit. Deinde multa e Peregrinatione S. Silviae excerpsit, et quicquid operi locisque descriptis conveniens videbatur, textui bedano inseruit. Cetera autem ex opusculis infimae aetatis deprompsit ac e viva voce peregrinorum, qui Hierosolymis redeuntes Casinum obibant. Quae omnia, praesertim ad Peregrinationem spectantia, distinguenda curavimus.

si postquam scribere conetur, materiam non rimetur. Iam vero Christo auspice huius proemii iste sit finis.

EXPLICIT PROLOGVS, INCIPIT LIBER DE LOCIS SANCTIS.

(*Beda cap. I*) Situs urbis Jerusalem pene in orbem circumactus non parvo murorum ambitu adsurgit: quo etiam montem Sion vicinum intra se recipit, qui a meridie positus, pro arce urbi supereminet. Maior pars civitatis infra montem iacet in planitie humilioris collis sita, cuius in magno murorum ambitu octoginta quatuor turres portas sex habet. Prima porta David ad occidentem montis Sion: secunda porta villae Fullonis: tertia porta sancti Stephani: quarta porta Beniamin: quinta portula, ab hac per gradus ad vallem Josaphat descenditur: sexta porta Tecutis. Celebriores tamen ex his sunt tres exitus portarum, unus quidem ab occasu, alius ab septentrione, tertius ab oriente. A meridie autem aquilonale montis Sion supercilium supereminet civitati, et ea pars murorum cum interpositis turribus nullas habere portas comprobatur, id est, a supradicta porta Davit usque ad eam eiusdem montis Sion frontem, quae praerupta rupe orientalem plagam respicit. Situs quippe ipsius urbis a supercilio aquilonis montis incipiens Sion ita est molli clivo dispositus usque ad humiliora aquilonarium orientaliumque murorum, ut pluvia ibi decidens nequaquam proteri, sed istar fluviorum per orientales defluens portas, cunctis secum platearum sordibus raptis in valle Josaphat torrentem Cedron augeat.

(*B. c. II*) Ingressi ergo ab septentrionali parte urbem, primum de locis sanctis pro conditione platearum divertendum est ad ecclesiam Constantinianam, ubi crux Domini inventa est. Dehinc ab occasu Golgothana videtur ecclesia, in qua etiam rupes apparet illa, quae quondam ipsam, adfixo Domini corpore, crucem pertulit, argenteam nunc grandem sustinens crucem, pendente detuper aenea rota cum lampadibus. Infra ipsum vero locum dominicae crucis, excisa in petra crypta est, in qua super altare pro defunctis onoratis sacrificium solet offerri, positis interim in platea corporibus. Huius quoque ad occasum ecclesia Anastasis, hoc est resurrectionis dominicae, rotunda ecclesia, tribus cincta parietibus,

duodecim columnis sustentatur: inter parietes singulos latum habens spatium viae, quae tria altaria in tribus locis parietis medii continet, hoc est, australi, aquilonali, et occidentali. Haec bis quaternas portas per tres e regione parietes habet, e quibus quatuor ad vulturnum, et quattuor ad eurum spectant. Huius in medio monumentum Domini rotundum petra excisum est, cuius culmen intrinsecus stans homo manu contingere potest; ab oriente habens introitum, cui lapis ille magnus adpositus est, quod intrinsecus ferramentorum vestigia usque in praesens ostendit. Nam extrinsecus usque ad culminis summitatem totum marmore tectum est: summum vero culmen auro ornatum, auream magnam gestat crucem. In huius ergo monumenti aquilonali parte sepulchrum Domini in eadem petra excisum, longitudinis septem pedum, trium mensura palmorum, pavimento altius eminet: introitum habet ab latere meridiano, ubi die noctuque duodecim lampades ardent, quattuor intra sepulcrum, octo in margine dextro. Lapis qui ad hostium monumenti positus erat, nunc fissus est, cuius pars minor quadratum altare ante hostium nichilominus eiusdem monumenti stat: maior vero in orientali eiusdem ecclesiae loco quadrangulum aliut altare sub linteaminibus extat. Color autem eiusdem monumenti et sepulchri albo et rubicundo permixtus esse videtur. Ad dexteram vero partem huic ecclesiae cohaeret Dei Genitricis ecclesia quadrangula. In platea, quae Martyrium et Golgotha continuat, exedra est, in qua calix Domini scrinio reconditus, per operculi foramen tangi solet, et osculari: qui argenteus calix duas hinc et inde ansulas habens, sextarii gallici mensuras capit; in quo est et illa spongia dominici potus ministra. Ibi etiam in Golgotha Abraam Isaac filium suum obtulit. Lancea preterea militis inserta habetur in cruce lignea in porticu Martyrii, cuius astile in duas partes intercisum est.

(*B. c. III*) Hec quidem sancta loca extra montem Sion posita sunt, quo se ad aquilonem deficiens loci tumor porrexit. In inferiori vero parte urbis templum in vicina muri ab oriente locatum est: paucae illic cisternae sunt.

(*Peregrinatio*) Sepulcrum vero Domini [1], de quo supra retuli-

[1] Hic primum nobis non obscure se ostendit Peregrina, dum res hoc loco descriptas, quae vetustatem sapiunt, perpendimus, et cum eis, quae in arretino

mus, est fabricatum in medio templi: templum vero in media civitate contra aquilonem, non longe a porta Davit. Post Resurrectionem [1] est ortus, in quo sancta Maria cum Domino locuta est. Foris ecclesiam retro est medietas orbis, quo loco dicit David: " operatus es salutem in medio terrae „. Alius etiam propheta dicit [2]: " Haec dicit Dominus: ista est Jerusalem, in medio gentium posui eam „. In Golgotha autem est pars ligni salutipherae crucis, in qua confixus est Dominus, et titulum, quod est repositum in locello argenteo. Est illic et cornu, unde ungebantur reges, et annulum Salomonis [3]. Non longe autem a medietate mundi est carcer: ibi vero est alligatio; ibi prope et flagellatio, ibique prope spinis coronatio, ibi prope est dispoliatio, et vestimenti divisio. In Calvaria autem, ubi crucifixus est Dominus, est mons scissus, et in ipso monte Calvarie ascenditur per gradus decem et septem, et ibi pendent lampades novem cum singulis nappis argenteis. Subtus vero est Golgotha, ubi cecidit sanguis Christi super petram scissam.

(*Anonymus*) Subtus autem monte Calvarie contra orientem est templum Domini ex alia parte civitatis, quod Salomon edificavit [4]. Quattuor portas habet, prima ab oriente, secunda ab occidente, tertia a meridie, quarta ab aquilone, quae habet significationem quattuor partium mundi: de foris vero octo angulos habet; per unumquodque angulum duodecim passus volvitur. In medium templi est mons magnus circumdatus parietibus, in quo tabernaculum, illuc et arca testamenti fuit, quae a Vespasiano imperatore,

codice servata sunt, comparamus. Quibuscum convenit quod hic memoratur hortus post Anastasim, in quo postea ecclesia S. Mariae excitata est: tum quod dictum biblicum e versione graeca producitur: denique quod crux in locello argenteo indicatur et titulus crucis et cornu et annulus Salomonis.

[1] Locus, ubi pia traditio ferebat Mariam Magdalenam Dominum post resurrectionem vidisse et cum eo colloquutam esse, a christianis saeculo fortasse sexto vel antea consecratus est in ecclesia S. Mariae, quam forma quadrangulari constructam vidit Arculphus (l. I, cap. 5), et cohaerentem ecclesiae S. Sepulcri.

[2] Psal. LXXIII, 12. Ezechiel, c. v. 5. In vulgata legitur: « Haec dicit Dominus Deus » etc.

[3] Haec in Peregrinatione occurrunt (pag. 95, et 96): « loculus argenteus deauratus..... ponitur in mensa quam lignum crucis quam titulus..... annulus Salomonis, et cornu illud, de quo reges unguebantur. »

[4] Quae de templo Salomonis hic referuntur, valde discrepant a testimonio Peregrinae, quae de illo inferius loquitur, et fictitia esse videntur: caetera ad infimam aetatem pertinent.

destructo templo, Romae delata est. A latere vero sinistro tabernaculi super saxum posuit Dominus Jesus Christus pedem suum, quando eum Symeon accepit in ulnis, et ita remansit pes scultus ibidem, ac si in cera positus esset. Ab alio vero latere saxi est tabernaculus apertus, in quo per gradus viginti duo descendunt: ibi Dominus orabat, ibi et Zacharias sacrificabat. Extra templum locus est, ubi Zacharias filius Barachiae interfectus est. Super saxum in medio templi pendet candela aurea, in qua est sanguis Cristi, qui per petram scissam descendit. Contra meridiem autem non longe templum Salomonis, in quo abitavit, constructum est: in quo sunt portae vigintiquinque, intus habet columnas trecentas sexaginta duo, et subtus non longe cunabula Christi, et balneum eius, et lectum sanctae Dei genitricis. Subtus templum Domini ab oriente est porta speciosa, unde Dominus intravit, sedens super pullum asinae; ibi et Petrus claudum sanavit. Contra aquilonem est ecclesia sancte Anne, ubi tribus annis beata Maria nutrita fuit. Prope vero est probatica piscina, que quinque porticus habet.

(*B. c. III*) In vicinia autem templi est Bethsayda piscina, gemino insignis lacu apparet, quorum alter uberius plerumque impletur imbribus, alter rubris est discolor aquis. Ab ea fronte montis Syon, quae praerupta rupe orientalem plagam spectat: intra muros atque in radicibus collis fons Siloe prorumpit, qui alternante quidem aquarum accessu in meridiem profluit; id est, non iugibus aquis, sed in certis horis, diebusque ebullit, et per terrarum concava, et antra saxi durissimi venire consuevit. In suprema montis Syon planitie est ecclesia magna ab apostolis fundata, eo quod ibi Spiritum sanctum acceperunt, ibique sancta Maria obiit, in qua etiam locus cenae Domini ostenditur. Sed et columna marmorea in medio stat, cui adherens Dominus flagellatus est. Hic monstratur petra, super quam lapidatus est Stephanus martir beatissimus, sita extra civitatem. In medio autem Jerusalem, ubi cruce Domini superposita mortuus resurrexit, columna celsa stat, quae estivo solstitio umbram non facit; illic medietas mundi est.

(*Peregr.*) In ecclesia vero, quae dicitur sancta Syon, est thronus Iacobi fratris Domini, qui iuxta templum sepultus est[1]: in eo autem

[1] Cathedram sive θρόνον s. Iacobi, primi episcopi Hierosolymitani, usque ad sua tempora servatam et veneratam fuisse adfirmat Eusebius Pamphilus (Hist.

loco fundata est, ubi coenantibus apostolis post passionem ostiis clausis [1] abparuit Dominus. Prope vero illic est porta, de qua angelus Petrum eduxit. De templo vero, quem Salomon aedificavit, duae tantum pinnae permanent, quarum una, quae altior valde est, ipsa est, in qua Dominus temptatus est a diabolo, reliqua autem destructa sunt [2]. In area vero Orne Iebusei templum constructum est. Prope autem portam effusus est sanguis Zachariae filii Barachiae.

(*B. c. VI*) Portam David egredientibus pons occurrit in austrum per vallem directus, ad cuius medietatem ab occasu ficus magna stat, in qua Iudas laqueo se suspendit. Porro Acheldamach ad australem plagam montis Syon peregrinos et ignobiles mortuos, alios terra tegit, alios inhumatos putrefacit.

(*B. c. IV*) Sudarium capitis Domini post resurrectionem eius mox quidam christianissimus furatus usque ad obitum divitiis sibi affluentibus habuit. Qui moriturus interrogavit filios, qui Domini sudarium, qui caeteras patris velit accipere divitias: maior vero thesauros rerum, minor elegit sudarium; et mox illi priori decrescunt usque ad paupertatem, fratri autem iuniori cum fide crescunt, et opes usque ad quintam generationem tenuere. Hinc ad impios perveniens divitias tantum auxit, ubi iudaeis et hoc tempore multo donec post longa litigia, quibus christiani iudaei se Christi, infideles vero se patrum suorum affirmabant. Mauras Saracenorum rex, qui nostra aetate fuit iudex, postulatur; qui accensa grandi pira Christum iudicem precatur, qui hoc pro suorum salute super caput habere dignaretur. Missum vero in ignem sudarium, velociter raptu aufugiens evolat, et in summo aere diutissime, quasi ludendo volucritans, ad ultimum cunctis utrisque intuentibus se se leniter in cuiusdam de christianis sinu deposuit: quod mane

Eccl. l. VII, c. 19): sed nunc primum eam in ecclesia Sion fuisse comperimus. Sepulcrum s. Iacobi non in monte Olivarum, ut nonnulli scribunt, sed iuxta templum judaicum fuit, et ostendebatur, ut ex Hegessipi auctoris antiquissimi commentariis idem Eusebius tradidit. S. Iacobus in Martyrologio romano dicitur: « non longe a templo sepultus ».

[1] Peregrin. p. 100: « clausis ostiis ingressus est discipulis ».

[2] Itin. Burdig: « Ibi est angulus turris excelsissimae, ubi Dominus ascendit... Et sub pinna turris ipsius sunt cubicula plurima ». Eucherius (a. 440) unam tantum pinnam memorat: « Ex quo (templo) parietis unius in ruinis pinna superest, reliquis ad fundamenta usque destructis ».

mox totus populus summa veneratione salutabat, et osculabatur: habebat autem longitudinis octo pedes.

(*Anon.*) Sudarium vero, cum quo Christus faciem suam extersit, quod ab aliis Veronyca [1] dicitur, tempore Tiberii caesaris Romae delatum est. Arundo vero, cum qua caput eius percussum est, et sandalia eius, et lora, cum quibus ligatus est, et circumcisio eius in basilica constantiniana Romae venerabiliter honorantur.

(*B. c. IV*) Aliud quoque aliquanto maius linteum in ecclesia veneratur, quod fertur a sancta Maria contextum, duodecim apostolorum et ipsius Domini continens imagines, uno latere rubro et altero viridi.

(*B. c. V*) Circa Ierusolimam aspera et montuosa cernuntur loca. Hinc quoque septentrionem versus usque ad Arimatheam terram petrosa et aspera per intervalla monstrantur: valles quoque spinosae usque ad Thainnycam regionem patentes. Ad Cesaream vero Palestinae ab Ierusalem, quamvis aliqua repperiantur angusta et brevia aspera loca, precipue tamen planities camporum, interpositis olivetis, distant autem septuaginta millibus passuum. Longitudo vero terrae repromissionis a Dan usque Bersabeae tenditur spatio centum sexaginta quinque milium: ab Ioppe usque Bethlem quadraginta sex milibus. Iuxta murum templi vel Ierusalem ab oriente Geennon occurrit, quae est vallis Iosaphat a septentrionale plaga in austrum porrecta, per quam torrens Cedron, si quando pluviarum aquam recipit, decurrit. Haec vallis, et parva campi planities irrigua et nemorosa, plenaque deliciis est. In hac turris est regis Iosaphat, sepulchrum eius continens: cuius ad dexteram de rupe montis Oliveti excisa et separata domus duo cavata habet sepulchra, hoc est Symeonis senis, et Ioseph sanctae Mariae sponsi. In eadem valle, sanctae Mariae rotunda est ecclesia, lapideo tabulato discreta, cuius in superioribus quatuor altaria, in inferioribus unum habetur in orientali plaga: et ad eius dexteram monumentum vacuum, in quo sancta Maria aliquandiu pausasse dicitur. Hanc intrantes vident ad dexteram insertam parieti

[1] Omnia haec e superstitioso corruptoque rivulo defluxa esse videntur, quamquam id me non latet, quod de sudario Domini eiusque vetustate profertur (Bolland. S. Veronica, 4 Febr.).

petram, in qua Dominus noctè, qua tradebatur, oravit, vestigiis genuum quasi cera molli impressis.

(*B. c. VII*) Mons olivarum mille ab Ierusalem discretus passibus, altitudine montis Syon par est, sed longitudine et latitudine praestat, exceptis vitibus et olivis rare ferax arboris, frumenti quoque et hordei fertilis: neque enim brucosa set herbosa et florida soli illius est qualitas. In cuius summo vertice, ubi Dominus ad coelos ascendit, ecclesia rotunda grandis ternas per circuitum cameratas habet porticus desuper tectas: interior namque domus, propter dominici corporis meatum, camerari et tegi non potuit: altare ad orientem habens angusto culmine protectum: in cuius medio ultima Domini vestigia, coelo desuper patente, ubi ascendit, visuntur. Quae cum cotidie a credentibus terra tollatur, nihilominus manet, eademque adhuc sui speciem veluti impressa signata vestigia servat. Haec circa aerea rota iacet usque ad verticem alta, ab occasu habens introitum, pendente desuper in trocleis magna lampade totaque die et nocte lucente. In occidentali eiusdem ecclesiae parte fenestrae octo, totidemque e regione lampades lucent. In die ascensionis dominicae per annos singulos, missa peracta, validi flaminis procella de sursum venire consuevit, et omnes, qui in ecclesia fuerint, terrae prosternere. Monumentum Lazari ecclesia ibidem extructa demonstrat, et monasterium grande in campo Bethaniae magna olivarum sylva circumdat. Est autem Bethania quindècim stadiis ab Ierusalem. Tertia quoque montis eiusdem ad australem Bethaniae partem ecclesia est, ubi Dominus ante passionem discipulis de die iudicii loquutus est.

(*Peregr.*) Trans torrentem Cedron est spelunca, et super eam ecclesia in eo loco, ubi quinta feria post coenam Salvatorem Iudaei comprehenderunt, qui locus est in capite vallis Iosaphat[1]. In eadem vero valle stetit palma, unde pueri ramos tulerunt, quando clamaverunt Hosanna. Item in monte Oliveti est spelunca, et in ea altarium bene lucidum, in qua solebat Dominus docere discipulos suos: super quam speluncam est sancta ecclesia grandis[2], et non

[1] In quinta feria hebdomadae maioris eam ecclesiam vallis Iosaphat obibant litaniae, ut in Peregrinatione legitur p. 94.

[2] Saepe hanc ecclesiam Peregrina memorat, et iisdem verbis: « in qua spelunca solebat Dominus docere discipulos ».

longe est martyrium sancti Stephani: inde non longe est locus, ubi orabit Dominus, quando factus est sudor eius sicut guttae sanguinis. In itinere [1] autem Bethaniae vicus est, de qua adducta est asina.

(*B. c. VIII*) Bethleem sex millibus in austrum ab Ierusolina discreta, in dorso sita est angusto ex omni parte vallibus circumdato, ab occidente in orientem mille passibus longa, humilis sine turribus muro per extrema plani verticis instructo: in cuius orientali angulo quasi quodam naturale semiantrum est, cuius exterior nativitatis dominicae est locus, interior praesepe Domini nominatur. Haec spelunca tota interius praetioso marmore tecta, supra ipsum locum, ubi natus est Dominus, sanctae Mariae grandem gestat ecclesiam: petra iuxta murum cavata primum dominici corporis lavacrum de muro missum suscipiens hactenus servat: quae si qua forte occasione vel industria fuerit exhausta, nichilominus continuo, dum respicis, sicut antea fuerat, plena redundat. Ad aquilonem Bethleem in valle contigua ecclesia est: ad austrum vero in valle contigua in ecclesia sepulchrum est sancti Hyeronimi. Porro ad orientem in turre Ader, id est gregis, mille passibus a civitate segregata ecclesia est, trium pastorum dominicae nativitatis consciorum monumenta continens. Sepulcrum vero David in Ierusalem situm est. Via regia, quae ab Helia Ebron ducit, ab oriente Bethleem, ab occidente sepulchrum Rachel habet.

(*Per.*) Piscina vero, ubi exprobravit Rabsaces, iuxta Bethleem est [2]. Iuxta ostium autem speluncae puteus est, unde aquam concupivit Davit. In valle etiam, quae in Bethleem est, sunt memoriae regum Iuda [3]. Nam longe autem inde est ecclesia, quae appellatur ad Pastores, ubi nunc est viridarium grande, clausum parie-

[1] Quid sibi vult illud: in itinere? profecto quum Peregrina iter Hierosolyma Ierichuntem indicasset, vel fecisset, vicum Bethaniae, quem transire necesse erat, nominavit.

[2] Reg. IV, cap. 18. « Venerunt Ierusalem, et steterunt juxta aquaeductum piscinae superioris, quae est in via agri fullonis ». Itaque piscina superior prope Bethleem constructa erat, atque Hierosolymam ex ea regione aqua deducebatur.

[3] Id confirmatur in Itin. Burd: « Bethleem, ubi natus est Dominus... Inde non longe monumentum Ezechiel, Asaph, Iob, Iesse, David, Salomon ». Et Antoninus m. refert (cap. 29): « Medium milliarium a Bethleem, in suburbio, iacet David in corpore, simul et Salomon filius eius, duo monumenta, et appellatur locus ille basilica sancti David ».

tibus diligenter per gyrum, et ibi est spelunca lucidissima habens altarium in eo loco [1], ubi pastoribus, cum vigilias haberent, apparens angelus annuntiavit eis Christi nativitatem. In Anatho autem est turris, in qua lamentavit Ieremias propheta : distat autem ab Ierusalem miliario quarto [2]. Miliario vero ab Ierusalem duodecimo est sepulcrum sancti Amos prophetae, qui locus appellatur Thecue [3]. In quo itinere contra mons est, quem excavavit Erodes, et fecit sibi palatium supra heremum contra mare mortuum [4]. In Thamnalsare est sepulcrum sancti Iesu filii Nave: ibi sunt et gladii petrini, unde circumcisi sunt filii Israel secundo [5]: ecclesia vero ibi constructa est, distat autem ab Ierusalem miliariis viginti. In alio autem monte ad miliarium secundum est ecclesia, ubi requiescunt corpora sanctorum Eleazari et Finees [6]. Miliario vero nono ab Ierusalem in loco qui dicitur Carathiarim [7], ubi fuit arca Domini, ecclesia illuc constructa est.

(*B. c. IX*) Hebron in campi latitudine sita, et ab Ierusalem viginti duobus milibus separata, uno ad orientem stadio speluncam duplicem habet, ubi sepulcra patriarcharum quadrato muro cir-

[1] Ibi prope erat turris Ader (Peregr. S. Paulae § 9): et ecclesiam *ad Pastores* Helena Costantini mater aedificasse traditur (Calmet Dict. Bibl. in v. Ader.)

[2] Anathoth urbs refugii juxta Eusebium ad quintum distabat ab Hierosolymis tribus millibus. Idem legitur in Hieronymo (ad Hieremiam cap. 31): « A turre Anathoth, quae hodie appellatur Hieremiae, tribus ab Hierusalem millibus separata». Theodosius (§. 15) scribit millia sex.

[3] Idem intervallum adnotat Eusebius in loco Elthece, ubi eius aetate sepulcrum Amos ostendebatur.

[4] Non longe a Thecue Herodes rex sibi magnificentissime extruxit arcem et palatium et sepulcrum (Ioseph. Bell. I. v. c. 7), quae omnia in colle manufacto contra montem arabici limitis excitavit appellavitque Herodium (Ioseph. Bell. I, 16). Si ergo iis, quae Iosephus rettulit, addas quae hic leguntur, positionem Herodii melius quam antea poteris statuere.

[5] Peregrinae, quum loca circa et trans Ierichuntem lustrasset, ostensum est in Thamatsare sepulcrum Iosue, ubi, si graecam traslationem, ut fecit ipsa, sequamur, cultri petrini repositi sunt (Septuag. Iosue, cap. XXIV, v. 3). Thamatsare autem erat « sita in monte, qui Ephraim a septentrionali parte montis Gaas. » Eusebius (in v. Gaas) sepulcrum Iesu Nave, quod suo tempore visebatur, appellat insigne.

[6] Non in monte superius memorato sed in alio proximo duobus milliariis a Thamnasarach erat ecclesia, in qua corpora quiescebant Eleazari filii Aaron et filii sui Phinees, qui sepulti fuerunt in monte Ephraim (Iosue c. XXV, v. 15). Peregrinatio S. Paulae § 15; « alter Eleazar in Gabaa ».

[7] Euseb. in v. Cariatharim: « euntibus ab Aelia Diospolim in milliario nono ».

cumdantur, capitibus versis ad aquilonem, et hec singula singulis tecta lapidibus instar basilicae dolatis trium patriarcharum candidis: sepulcrum vero Adam protoplasti obscurioris et vilioris operis non longe ab illis ad borealem extremamque muri illius partem pausat. Trium quoque feminarum viliores et minores memoriae cernuntur. Mambre collis, mille passibus a monumentis his ad boream, herbosus valde et floridus, campestrem habens in vertice planitiem, in cuius aquilonari parte quercus Abrahae, duorum hominum altitudinis truncus, ecclesia circumdata est. Egredientibus Hebron ad aquilonem in sinistra parte viae occurrit mons pinosus parvus, tribus milibus passuum ab Hebron, unde Ierysolimam pinea lignea feruntur in camelis; nam in omni Iudaea plaustra vel currus raro fiunt.

(*Per.*) In vigesimo autem quarto miliario ab Ierusalem iuxta Hebron est fons, in quo baptizavit Philippus apostolus et evangelista eunuchum Candacis reginae [1]. In loco vero, qui appellatur Terebinthus, ubi apparuerunt tres angeli Abraae, est puteus Abrahae optimus, et speluncae duae lucidissimae, ubi habitavit: nam et altarium ibi positum est, et ante se ecclesiam abet [2]. Non longe autem inde mons est, usque quo deduxit Abram angelos euntes in Sodomis. Intus vero in Ebron domus consistit Davit, unde adhuc aliqua pars stat, nam cubiculum, ubi mansit, usque odie ibi ad orationem curritur [3]. Longe autem ab Ebron ad passus trecentos in loco, qui dicitur Abramiri, est domus Iacobi, ubi ecclesia sine tecto constructa est. Inde vero ad passus quinquaginta est sepulchrum sancti Chaleph. Item Abramiri vinea est, in qua est spelunca, ubi requiescunt corpora undecim filiorum Iacob: ossa

[1] Hic fons ponitur ab Eusebio in v. Βεδσούρ in vicesimo lapide ab Aelia. Hieronymus ad v. Bethasora in vicesimo secundo: Itinerarium autem Burdigalense millia XIIII a Bethleem, seu ab Aelia vinginti: denique Theodosius (§ 21) millia sedecim.

[2] A Bethasora ad Therebintum millia octo leguntur in Itinerario, ubi apponitur: « Ibi Abaham habitavit, et puteum fodit sub arbore terebintho, et cum angelis locutus est. Ibi basilica mirae pulchritudinis facta est iussu Constantini. Inde Therebinto Hebron millia duo ».

[3] Hebron, ubi domum sibi constituit David, fecitque sedem regni sui (Reg. II, c. 2, 3), distabat ab Aelia millibus circiter viginti duobus (Euseb. in Ἀρβώ).

autem Ioseph separatim sepulta in sua ecclesia sunt [1]. Non longe vero ab Ebron est sepulchrum Abner filii Ner [2].

(*B. c. X*) Iericho ab Ierusalem in orientem versus decem et octo milia pedes abest, qua tertio fundamentis destructa, sola donus Rabaab ob signum fidei permanet: eius enim adhuc parietes sine culmine durant: locus urbis segetes et vineas recipit. Inter hanc et Iordanem, quinque vel sex ab ea milibus separatum, grandia palmeta campulis interpositis et inhabitatoribus chananeis. Duodecim lapides, quas Iosue de Iordane tolli praeceperat, in ecclesia Galgalis facta altrinsecus iuxta parietes eiusdem iacent, vix singuli duobus viris levabiles. Est iuxta Iericho fons uber ad potum, pinguis ad rigandum, qui quondam sterilis ad generandum, parum salubris ad potandum, sed per Elyseum prophetam sanatus est. Denique campus eum circumiacet, septuaginta stadiorum in longitudine, viginti in latitudine patens, in quo mirabilis hortorum gratia, varia palmarum genera, praestantissimi apium foetus, illic opobalsamum gignitur. Quod ideo cum adiectione significamus, quia agricolae cortice tenues virgulas acutis lapidibus incidunt, ea in quibus balsama generantur, ut per illas cavernas paulatim destillans humor se colligat lacrymis pulcher rorantibus. Illic ciprum, illic miroballanum nascitur: aqua, ut caetera fontium, aestate frigida, hieme tepens, aer mollior, ut summa hieme lineis utantur indumentis. Urbs ipsa condita in campo, cui supereminet mons diffusior et nudus gignentium: aegrum enim et ieiunum solum, et ideo est desertum ab incolis. Hic a Scythopolis urbis terra

[1] Ad explanationem testes antiquos adducere praestat. Itin. Burd. l. c.: « Ibi (Hebron) est memoria per quadrum ex lapidibus mirae pulchritudinis, in qua positi sunt Abraham, Isaac, Iacob »; Peregrin. S. Paulae: « Inde consurgens ascendit Hebron. Haec est Cariatharbe, id est oppidum virorum quatuor, Abraham, Isaac, Iacob, ed Adam magni; quem ibi conditum, iuxta librum Jesu Nave, Hebraei autumant, licet plerique Caleb quartum putant, cuius ex latere memoria monstratur ». Hieronymus in Eus. ad v. Arboc.: « Mausoleum eius (Abraami) in praesentiarum cernitur. Quumque a nostris iam ibidem aedificata est ». Ex quo colligitur hanc ecclesiam tempore Peregrinae nondum coopertam et absolutam fuisse. Theodosius (de t. s. §. 20 et 21): « Sepulcrum....., quod Abrahamium dicunt, distans a Calvaria per triginta milliaria... De Terebintho usque ad speluncam duplicem, ubi requiescunt patriarchae milliaria quatuor. De spelunca duplici usque in Hebron milliaria duo ». Ossa Ioseph condita erant prope vicum Sichem, ad quem postea venit Peregrina.

[2] Reg. III, cap. 3, v. 32.

usque ad regionem Sodomitanam et Asfaltios fines locus diffusus habetur. Adversus huic mons supra Iordanem ab urbe Iuliade usque ad Zoaros Arabie Petree terminos extentus, ubi etiam mons est Ferreus nominatus. Inter hos duos montes campus magnus iacet, qui dicitur Aulon, cuius longitudo triginta et ducentorum stadiorum, latitudo centum et viginti: exordium a vico Gennaari, finis usque Asfaltium lacum. Iordanis eum enim medium intersecat, viridantibus ripis, fluminis alluvione, si quidem supra ripam fluminis fructus arborum uberior est, alias longe exilior, arida enim sunt omnia praeter oram fluminis.

(*B. c. XI*) Ipsius autem Iordanis exordium in provincia Fenicis ad radices montis Libani, ubi Panium, id est Caesarea Philippi sita est. Speleum vero per quod se se attollit Iordanis decore admirabili extructum est. In Traconitide vero terra fons est rotae qualitatem exprimens, unde et Syla nomen accepit, quindecim a Caesarea milibus passuum discretus, ita iugiter plenus aquarum abundantia, ut neque superfluant neque umquam minuantur. In hunc Philippus Tetrarches paleas misit, quas in Paneo fluvius ebullivit. Unde liquet in Phiala principium esse Iordanis, sed post subterraneos meatus in Panio coepisse fluentum, qui mox lacum ingressus, paludes eius intersecat: inde quoque cursus suos dirigens, quindecim millia passuum sine ulla intermissione progreditur usque ad urbem Iuliam: postea lacum Genessar medio transit fluento: unde plurima circumvagatus, Affaltium, hoc est mare mortuum ingressus, laudabiles perdit aquas: est enim coloris albi sicut lac, et ob hoc in mari mortuo discernitur. Est autem Genessar, id est mare Galileae magnis silvis circumdatum in longitudine habens centum sexaginta stadia, in latitudine quadraginta, aquae dulcis et ad potandum amabilis: si quidem nec palustris uliginis crassatum aliquid aut turbidum recipit, quia arenoso undique litore circumvenitur, sed amoenis circumdatur oppidis: ab oriente Iuliade et Hippo, ab occidente Tyberiade, aquis calidis salubri. Genera quoque piscium gustu et specie quam in alio praestantiora.

(*B. c. XII*) Mare vero mortuum longitudine stadiis quingenta octoginta usque ad Zoaros Arabiae, latitudine centum quinquaginta usque ad vicinia Sodomorum protendit. Nam et de puteis quondam salis post Sodomae et Gomorrae et civitatum finitima-

rum combustionem inundasse certissimum est. Apparet vero procul de specula montis Oliveti cernentibus, quod fluctuum collisione commotum salsissimum eiicit sal, et hoc sole siccatum accipitur, multis nationibus profuturum. Mare vero mortuum nihil recipit generum viventium, neque pisces, neque assuetas aves aquis, tauri camelique fluitant. Denique si Iordanis auctus imbribus pisces illuc influentes rapuerit, statim moriuntur, et pinguibus aquis super natant. Lucerna accensa ibidem natat sine ulla conversione, extincta demergitur, omniaque viventia demersa, licet sint vehementer inlisa, statim resiliunt. Homines enim natandi ignari, si illuc proiciantur, revictis post tergum manibus, sine dubio natant. Aqua ipsa sterilis et amara, caeterisque aquis obscurior, et quasi adustae preferens similitudinem. Vagari super aquas bitumina certum est atro liquore, quae scaphis appropinquantes colligunt. Herere sibi bitumen, et nequaquam ferro praecidi, fertur, sanguini tantum mulierum et menstruo et urinae cedit, utilis autem ad compagem navium vel corporibus hominum medendis. Servat adhuc regio speciem penae: nascuntur ibi poma pulcherrima, quae edendi cupiditatem spectantibus generant; si carpas, fatescunt, et resolvuntur in cinerem, fumumque excitant, quasi adhuc ardeant. Sane in diebus estatis modicus per spatia campi exestuat vapor, unde et coalescente vitio nimiae siccitatis atque humidi corruptior aer miserandas incolis conficit aegritudines.

(B. c. XIII) In loco ergo, in quo Dominus baptizatus est, crux lignea stat usque ad collum alta, quae aliquoties aqua transcendente absconditur. A quo loco ripa ulterior, id est orientalis in iactu fundae est: citerior vero ripa in supercilio monticuli, ubi constructum est monasterium sancti Baptistae Ioannis, de quo per pontem arcubus suffultum solent descendere ad illam crucem, et orare. In extrema fluminis parte quadrata ecclesia quatuor lapideis cameris superposita est, cocto ex latere, creta desuper tecta, ubi Domini vestimenta, cum baptizaretur, servata sunt. Hanc non homines intrare, sed unde cingere ac penetrare solent. Ab eo loco, quo e faucibus maris Galileae Iordanis exit, usque ubi mare mortuum intrat, octo dierum iter est.

(B. c. XIV) Locustae autem, de quibus edebat beatus Iohannes, ibi usque hodie sunt, quae corpusculis in modum digiti manus exilibus et brevibus, in herbis facile captae coctaeque in oleo pau-

peri prebent victum. In eodem deserto sunt arbores folia lata et rotunda lactei coloris et melliti saporis habentes, quae, natura fragili manibus confricantur et eduntur: hoc esse mel silvestre dicitur. Ibidem et fons sancti Iohannis Baptistae ostenditur lucida aqua lapideo protectus tecto, calce perlito.

(*Per.*) Qui autem ad Iordanem ire ab Ierusalem desiderat, per montem Oliveti descendit [1].

(*Anon.*) A monte Oliveti Christus ascendit ad coelum, et ibi fecit Pater noster [2]. Mons autem Syon a meridie est, ibi obiit sancta Maria [3] et ibi Dominus coenavit cum discipulis suis, et ibi misit Spiritum sanctum super discipulos. In ecclesia vero, quae est in Bethleem, est mensa, in qua comedit sancta Maria cum tribus regibus Christum Dei filium requirentibus. Columnae sunt intus ipsam ecclesiam sexaginta quadtuor: ibi requiescunt pueri pro Christo ab Erode interfecti.

(*Per.*) Fundamenta vero murorum urbis Iericho, quos subvertit Iesus filius Nave, adhuc ex parte parent. Arbor vero sycomori, in qua ascendit Zacheus, stat iuxta domum Raab [4]. Non longe autem ab Iericho est locus, unde Elias raptus est in celum. Trans Iordanem vero sunt montes excelsi valde, inter quos est altior unus, qui vocatur Nabau [5], in quo ascendit Moyses, quando vidit terram repromissionis, et mortuus est. Gabaon non longe est ab

[1] Id ex Peregrina depromptum esse videtur, quum ab Hierosolymis ad civitatem Jericho vallemque Jordanis pergere statuisset.

[2] Hieronymus in Matth. (c. V, v. 1) scribit nonnullos simpliciorum fratrum putare Christum beatitudines, et quae sequuntur (scilicet etiam orationem *Pater noster*), in Oliveti monte docuisse. Sed, quum perspicuum sit, ut paulo inferius videsis, Peregrinam aliter sensisse, et meliorem patrum opinionem esse secutam, haec ex Anonimo quodam desumpta esse arbitror.

[3] Quod sequitur ad Peregrinam profecto non spectat. Nota etiam locorum confusionem, in quam Petrus Diaconus offendit, hinc inde excerpta colligens.

[4] De vetere Iericho nonnihil supererat saeculo primo p. Ch. ut ex Iosepho (Bell. l. V, c. 4). Euseb. in Iericho: « Ostenduntur utriusque urbis (veteris et novae) vestigia usque in praesentem diem ». Sed in Itiner. Burd. nulla vestigia civitatis apparere dicuntur. Tantum de reaedificatione Hieronymus scribit (Peregr. s. Paulae §. 14): « Ingressa Iericho vidit urbem, quam fundavit Hiel in Abiram ». Idem Anton. m. cap. 13: « A terrae motu muri diruti: domus Raab stat, quae est xenodochium ».

[5] De monte Nabau (versio Graeca pro Nebo), quem postea s. Silvia ascendit, vide Peregrinationem pag. 51 et seqq.

Ierusalem, quam expugnavit Iesus. Emmaus autem, ubi Dominus cum discipulis suis post resurrectionem comedit, sexaginta stadiis ab Ierusolimis distat. In turre autem Cades domus fuit Iacob, cuius fundamenta usque odie parent[1]. In Galilea autem est villa Some[2], de qua fuit Abisac Sunamitis, et mulier, in cuius domo mansit Elyseus, quae domus usque hodie permanet. A monte vero Hermon, qui excelsus valde est, omnis Galilea videtur, in quibus nichil pulchrius est, nam cum sit planities grandis, aliud nichil est nisi vineae et oliveta[3]. Ibi autem ager est, in quo Dominus cum discipulis suis comedit: ibi lapis est, in quo cubitum fecit Dominus, qui usque hodie videtur. Non longe vero ab eodem monte fons est, quem Salvator benędixit, qui fons ad omnes infirmitates valet. In villa vero Naym[4] in domo viduae, cuius filius resuscitatus est, nunc ecclesia est: sepultura autem, in qua ponere eam volebant, usque hodie est.

In Nazara vero est ortus, ubi Dominus fuit, postquam reversus est de Egypto[5].

(*B. c. XV*) Prope civitatem, quae nunc Neapolis dicitur, ecclesia quadrifida est, hoc est in crucis modum facta, in cuius medio est

[1] Fortasse in codice archetypo scriptum erat: « turre Ader vel Gader »: nam in Peregr. s. Paulae legitur: « ad turrim Ader, id est Gregis, iuxta quam Iacob pavit greges suos » (Genes. c. 26, v. 21). Arculphus vero profert (l. II. c. 6): « iuxta turrim Gader ».

[2] Some. « Somam vicus in finibus Sebastae in regione Acrabittena, vocabulo Sanim ». Haec Hieronymus in Eusebio ad v. qui addidit: ὅθεν λέγουσιν τὴν Σωμανιτῖν. In Suidae lexico quoque scribitur: Σωμανῖτις.

[3] Mons, qui describitur, alter erat ac Hermon, qui excelsissimus trans iordanicam regionem in libris sacris memoratur: quum ille ad Taboris meridiem situs modica esset altitudine. Nonnulli ad eum illud spectare putarunt (Psalm. XLI, 7): « Memor ero tui de terra Iordanis, et Hermoniim a monte modico. » At minorem fuisse quam proximum Thabor paulo post nobis tradit Peregrina. Opportunum etiam hic revocare videtur, quod S. Paula a Thaboris summitate aspiceret « procul montes Hermon et Hermoniim et campos latissimos Galileae... torrentem Cison, qui mediam planitiem dividebat; et oppidum iuxta Naim, in quo viduae suscitatus erat filius, monstrabatur. »

[4] Hieron. in Eusebio: « Naim oppidulum... usque hodie in secundo milliario Thabor montis ostenditur. »

[5] Valde dubito, utrum Peregrina id scripserit. Nam, quum Hierosolymis Nazareth versus iter pergeret, primum per Neapolim, de qua mox, sibi transire erat necesse, ut ad civitatem Nazareth accederet. Quare eiusmodi de horto Domini notitia a Petro Diacono saltem intempestive adducta est.

fons Iacob quadraginta cubitis altus, de quo Dominus aquam a muliere samaritana petere dignatus est.

(*Per.*) Duo autem miliaria ecclesia ista distat ab eadem villa, quae olim dicta est Sychem. A longe vero ab eadem ecclesia passus quingentos est ecclesia, in qua requiescit sanctus Ioseph [1].

(*B. c. XVI*) Locus autem ille, in quo Dominus panes benedixit et fregit, citra mare Galileae ad aquilonem civitatis Tyberiadis campus herbosus et planus, numquam ex illo tempore aratus, nulla habens aedificia, fontem tantum, ex quo tunc illi biberunt, ostendens. Qui ergo ab Ierusalem Capharnaum pergunt, per Tyberiadem iter habent, deinde secus mare Galileae, et locum benedictionis panum, a quo non longe civitas Capharnaum murum non habens, angusto inter montem et stagnum situ, per maritimam oram orientem versus longo tramite protenditur, montem ab aquilone, lacum ab austro habens. Nazareth murum non habet, sed magna aedificia, duasque grandes ecclesias, unam in medio civitatis, supra duos fundata cancros, ubi quondam fuerat domus, in qua Dominus nutritus est infans. Haec autem ecclesia duobus, ut dictum est tumulis, et interpositis arcubus suffulta, habet inferius inter eosdem tumulos fontem lucidissimum, unde aquam in vasculis per trocheas in ecclesia extraunt. Altera vero est ecclesia, ubi domus erat, in qua angelus sanctae Mariae locutus est.

(*Per.*) Spelunca vero in qua habitavit magna est et lucidissima, ubi est positum altarium, et ibi intra ipsam speluncam est locus, unde aquam tollebat. In eadem autem civitate, ubi fuit synagoga, nunc est ecclesia, ubi Dominus legit librum Esayae. Foris autem castellum fons est, unde aquam sancta sumebat Maria [2].

[1] Locus, ubi Sichem fuit, Eusebii tempore (ad v. Sichem) ostendebatur in suburbanis Neapoleos, iuxta sepulcrum Ioseph (Iosue XXIV, 32): quod etiam Theodosius indicavit (De t. s. §. 27).

[2] Quae in Nazareth fuisse dicuntur, prorsus ignota sunt, neque eorum vestigium ullum in scriptis reperitur: sed satis antiqua et ex Peregrina deducta esse videntur. Speluncam a Domino esse habitatam, traditio vel quaedam religio oppidanis fuit. In synagogae loco, ubi Jesus librum Isaiae legit, ecclesiam a christianis excitatam facile credendum est, quum Anton. m. ejus synagogae mentionem faciat. Non immerito fons prope Nazareth commemorat Peregrina, quum in Proto-evangelio s. Iacobi n. 12 scriptum sit, Angelum primo cum Virgine apud fontem, deinde domi colloquutum.

(*B. c. XVIII*) Mons Thabor in medio Galileae campo in tribus milibus Manasse ad boream a mari Cenereth distat, ex omni parte rotundus, herbosus valde et floridus, altitudinis triginta stadiorum: vertex ipse campestris et multum amoenus, viginti et trium stadiorum spatiorum dilatatus, ubi grande monasterium grandi quoque silva circumdatur, tres ecclesias habens, unam in onore Domini Salvatoris, reliquae autem duae in onore Moysi et Eliae. Locus vero ipse muro cinctus magna gestat aedificia.

(*Per.*) Valde autem est excelsior et altior quam Hermon [1], nam et Galilea omnis et Mare Tyberiadis inde apparet: contra se vero positi sunt montes utrique. In Endor est domus Pythonissae, ad quam fuit Faul [2] nocte, de qua domo adhuc fundamenta parent. In Tyberyadis in eo loco nunc ecclesia est, in qua domus fuit apostolorum Iacobi et Iohannis. Ibi etiam iusta mare Tyberyadis est, super quem Dominus ambulavit. In Capharnaum [3] autem ex domo apostolorum principis ecclesia facta est [4]; qui parietes usque hodie ita stant, sicut fuerunt. Ibi paraliticum Dominus curavit: illuc est et synagoga, in qua Dominus daemoniacum curavit, ad quam per gradus multos ascenditur; quae sinagoga ex lapidibus quadratis est facta. Non longe autem inde cernuntur gradus lapidei, super quos Dominus stetit. Ibidem vero super mare est campus herbosus habens foenum satis et arbores palmarum multas, et iusta eas septem fontes, qui singuli infinitam aquam emittunt, in quo campo Dominus de quinque panibus et duobus piscibus populum satiavit [5]. Sane lapidem, super quem Dominus panem posuit, nunc est factum altarium, de quo lapide non frustra tollunt venientes pro salute

[1] Intellige montem Thaborem, cuius verticem, quemadmodum s. Paula, scandit Peregrina.

[2] Ita codex pro Saul. Endor fuit magnus vicus a monte Thabor quatuor millibus situs circa Scythopolim. Euseb. in Aendor et Endor.

[3] De horum apostolorum ecclesia in Tiberiade nulla in scriptoribus, ni fallor, mentio invenitur.

[4] Ecclesiam s. Petri vidit Antoninus m. (c. 7): « Venimus in civitatem Capharnaum, in domum beati Petri, quae est modo basilica ».

[5] Theodos. de T. S. c. 28: « De Magdalo usque ad Birsabee, quod interpretatur *septem fontes*,.. millia quinque: ubi Dominus Christus baptizavit apostolos, ubi et saturavit populum... A septem fontibus usque in Capharnaum millia duo ». Arculfus, l. II, c. 22: « erbosus et planus campus..... in quo nulla cernuntur aedificia ».

sibi, et prodest omnibus [1]. Iuxta cuius ecclesiae parietes via publica transit, ubi Mattheus apostolus theloneum habuit. Inde in montem, qui iuxta est, est spelunca, in qua ascendens beatitudines dixit Salvator [2]. Non longe autem inde est Synagoga, quam Salvator maledixit: nam cum transiret Salvator, et illam Iudei fabricarent, interrogavit eos dicens: Quid facitis? et illi: nihil. Et Dominus: ergo si nichil est quod facitis, nihil erit semper. Quod usque hodie ita permanet [3]. Postmodum enim quotiens voluerunt illam Iudei fabricare, quicquid per diem faciebant, per noctem diruebatur, et mane semper in ea mensura inveniebatur fabrica eius, in qua fuerat tunc quando maledicta est. Inde autem non longe sunt montes Gelboe, ubi est vicus Gebus [4], ubi mortui sunt Saul et Ionathas. In Iezrael autem vinea, que fuit Naboth, nunc puteus tantum est: ibi et fundamenta turris usque hodie apparent. Sepulchrum vero Iezabel usque hodie ab omnibus lapidatur [5]. Non longe autem a civitate est mons, in quo sedit Elias propheta, quando eum persequebatur Iezabel. A longe autem est pars montis Carmeli, est locus, ubi Elias altare Domini consecravit. Sebastia, quae olim Samaria dicta est, continet ecclesiam, in qua requiescit corpus sancti Baptistae Iohannis, et Helisei, et Abdiae [6]. In secundo autem miliario mons est altissimus, in quo sunt duae spe-

[1] Cf. Peregr. p. 49: « Vadent ibi et tollent surculos, et prode illis est ». Quod sequitur « iuxta cuius ecclesiae » ostendit ecclesiam fuisse, ubi positum erat altarium, quod pro altare saepe in Peregrinatione usurpatur.

[2] Montem indicat prope Capharnaum et mare Genezaret, et res cum evangelistis bene consentit. Sed in montis spelunca Dominum dixisse beatitudines a nemine traditur, immo doctiores explanatores eum in loco eminenti vel tumulo sedisse arbitrantur.

[3] Hoc dictum Christi nec in evangeliis nec in pseudo-evangeliis nec in dictis Christo tributis legitur: fortasse in quodam libro deperdito vel ex loci traditione illud relatum Peregrina desumpsit.

[4] Gebus in codice. Eusebius ad v. « Gelboe, montes alienigenarum, in sexto lapide a Scythopoli, in quibus et vicus est grandis, qui vocatur Gelbus ».

[5] Iezrael, quae et Stradela, ubi sedit Achab rex, distabat decem millia passuum a Maximianopoli (Hieronym. in Osee c. I,) et duodecim a Scithopoli (Itin. Burd.). Fundamenta turris fortasse erant vestigia palatii Achab. Sepulcrum, vel potius locus dicebatur, quo eiecta fuit et a canibus vorata Iezabel uxor Achab regis (Reg. III, c. 21).

[6] Eusebius ad v. Samaria, « quae nunc Sebaste dicitur. » Peregr. s. Paulae §. 16. « Ibi siti sunt Heliseus et Abdias prophetae.... et Johannes Baptista ». Cf. Hier. in Abdia propheta.

luncae lucidissimae, in quarum una absconditi sunt prophetae sub Iezabel, in altera autem sedit sanctus Elias [1]. Miliario autem vigesimo a Sychem [2] est templum destructum in Sylo, ubi est et sepulchrum Heli sacerdotis. In Bethel autem, ubi constructa est ecclesia in eo loco, ubi Iacob, dum iret in Mesopotamiam, vidit scalam in coelum usque tendentem. Ibi est etiam et sepulchrum prophetae, qui prophetavit adversus Ieroboham [3]. Miliario autem vigesimo secundo ab Ierusolimis inter Sochchot Iudae et inter Zechara Mahel occidit Davit Goliam Phylisteum [4]. In Eleutheropoli [5] autem loco Bycoyca, in qua est sepulchrum Abbacuc prophetae. Ab Eleutheropoli autem miliario quintodecimo est sepulchrum sancti Hesdrae prophetae in loco, qui dicitur Asoa [6]. Et in miliario tertio

[1] Hunc montem etiam s. Paula ascendit, quum Nazareth peteret lacumque Tiberiadis; quod Peregrinae accidit ab invisenda Nazareth redeunti.

[2] Peregr. s. Paulae: « Quid narrem Silo, in qua altare dirutum hodieque monstratur? » (Cf. Hieron. in Sophon. I). Intervallum a Sichem vel Neapoli ad urbem Sili viginti millibus passuum non congruit cum Eusebio, qui Silum distare duodecim milliariis adnotat, sed terminus in codicibus desideratur: neque cum Hieronymo, qui in versione eusebiana scribit Silum esse in decimo milliario Neapoleos, et in hoc quoque codices discrepant. Rectum mihi fuisse videtur illud a Peregrina relatum, quod confirmatur Fretelli archidiaconi Antiocheni libro sanctorum locorum, quem scriptum circiter saeculum duodecimum Baluzius edidit (Misc. I. p. 437): « Vicesimo miliario a Sichem, quarto a Jerusalem via, quae ducit Diospolim, mons Syla et civitas ».

[3] Bethel parvum vicum fuisse et distare duodecimo circiter milliario ab Aelia docet Eusebius in *Aggai*, in quo interpres Hieronymus addidit: « Sed et ecclesia aedificata est, ubi dormivit Jacob pergens Mesopotamiam ». De sepulcro Ahiae prophetae (Reg. III, c. 11, 29) ne verbum quidem fit in libris, quos in manus habui.

[4] Itiner. Burd. statuit « campum, ubi David Goliat occidit, » inter Stradelam et Scythopolim fuisse plus quam quinquaginta milliariis ab Hierusalem. Duos fuisse Sochot in tribu Juda viculos in nono miliario viae publicae pergentibus Aeliam ab Eleutheropoli scribit Eusebius in v. Soccho. Locus autem Zechara Mahel facile cum Magala confunditur, ut in vulgata legitur (Reg. I, c. 17, v. 20): « Venit David ad locum Magala. » Et idem videtur, quem in Zosimo legimus (Hist. Ecc. IX, c. 17): « Cafar Zachariae, vicus est in finibus Eleutheropolis, urbis Palestinae ».

[5] Pseudo-Epiphanius in vitis prophetarum tradit Habacuc ortum habuisse in Beth-Zachara, quae appellari potuit Zachara Mahel: sepulcrum autem ubinam fuisset non plane constabat tempore Eusebii, sed non longe ab Eleutheropoli. Ostendebatur enim in Echela septimo miliario, in Ceila octavo, in Gabatha duodecimo. Sub Theodosio inventum est corpus Habacuc prophetae in Cela in ditione Eleutheropolitanae ecclesiae, Sozom. H. E. l. VII, v. 29.

[6] Asoa puto fuisse Asan Eusebii, vicum ab Aelia milliario quintodecimo: eo loco Hesdram conditum esse hactenus erat incompertum.

in loco, qui dicitur Chariassati, quae ante dicta est autem Morastites, est sepulchrum sancti Micheae prophetae [1].

Taphnis est posita super ripam fluminis Nili [2]: ibi est palatium Pharaonis, ubi sanctus Moyses coram Pharaone mirabilia fecit.

(*B. c. XIX*). Alexandria ab occasu in ortum solis longa, ab austro ostiis Nili cingitur, ab aquilone lacu Mareotico, cuius portus ceteris difficilior, quasi ad formam humani corporis in capite ipso et statione capacior, in faucibus vero angustior, qua meatus maris ac navium suscipit, quibus quaedam spirandi subsidia portui subministrantur: ubi quis angustias atque ora portus evaserit, tamquam reliqua corporis forma, ita diffusio maris longe lateque extenditur. In eiusdem dextera portus parva insula habetur, in qua Farus, id est turris maxima est, nocturno tempore flammarum faucibus ardens, ne decepti tenebris nautae in scopulos incidant, et vestibuli limitem comprehendere nequeant, qui et ipse se semper inquietus est fluctibus hinc inde conlidentibus. Portus vero placidus semper, amplitudinem triginta stadiorum. A parte Egypti urbem intrantibus ad dexteram occurrit ecclesia beati Marci evangelistae nomine consecrata, in qua ipse beatissimus requievit. Circa Nilum aggeres crebros propter inruptionem aquarum facere solent, qui si forte custodium incuria rupti fuerint, non irrigant, sed opprimunt terras subiacentes, et qui plana Egypti incolunt, super rivos aquarum sibi domos faciunt, transversis trabibus pontes.

[1] Intellige milliarium tertium ab Eleutheropoli, nam Morasti iuxta Eusebium (ad v.), unde fuit Micheas, erat vicus contra orientem Eleutheropolis: idem Hieronymus scribit in prologo Micheae et in Peregrinatione s. Paulae: « Videam Morasthin, sepulcrum quondam Micheae prophetae et nunc ecclesiam ». De huius sepulcri inventione Theodosii tempore haec Sozomenus (Hist. Ecc. l. VII, c. 29): « Berathsatia vero locus est decem circiter stadiis distans ab urbe (Eleutheropoli): iuxta quem erat sepulcrum Micheae, quod quidem incolae ignorantes quid dicerent, monumentum fidelium appellabant ».

[2] Peregrina aliquantum morata Hierosolymis pergit Aegyptum, atque per Pelusium pervenit Tanim, hinc Alexandriam: deinde itineri Thebaidis se devote fortiterque commisit. De quo itinere ipsa mentionem fecit in descriptione (p. 46): « Qua primitus ad Aegyptum fueram. » Et alibi (p. 50): « de eo tempore, a quo ad Thebaidem fueram ». Et paulo post: « civitas Tathnis, quae fuit quondam metropolis Pharaonis. Et licet ea loca, ut superius dixi, iam nossem, id est quando Alexandriam vel ad Thebaidem fueram ».

(*Per.*) Memphis [1] vero adhuc palatium continet, ubi sanctus Ioseph frequenter ingrediebatur. Inde ad miliarium sextum contra ripam fluminis Nili est thronus Moysi et Aaron [2]: sunt autem praedicti throni in monte excelso, ubi sunt duae turriculae, quae per gradus plurimos ascenduntur: una earum habuit tectum, alia autem sine tecto est: ibi ascendebat Moyses, quando loquebatur filiis Israel, cum deprimerentur, in alia vero orabat. Subtus autem in circuitu campus est, ubi filii Israel lateres faciebant. Inde autem ad mille passus villa est supra ripam fluminis, ubi sancta Maria cum Domino fuit, quando in Egyptum perrexit [3]. Inter Memphys vero et Babylonia milia sunt duodecim, ubi sunt pyramides plurimae, quas fecit Ioseph ad frumenta recondenda [4]. Elyopolis distat a Babylonia milia duodecim [5]. In medio autem huius civitatis est campus ingens, in quo est templum solis, et ibi est domus Petefrae. Inter domum autem Petefrae et templum est domus Asennec. Murus autem interior intra civitatem est antiquior lapideusque, tantummodo templum cum domo Asennec et domo Petefre [6]. Ibi vero est et viridarium solis, ubi columna est grandis, que

[1] Exinde Petrus Diac. codicem Peregrinae tantummodo versat, ea eligens quae sibi videntur ad topographiam sacram pertinere. Quum Alexandriam, Nili regionem, Thebaiden usque lustrasset et descripsisset, ad desertam Memphim rediens Peregrina pervenit: eo loco Petrus desinit compilare itinerarium Peregriuae gravissima studiorum nostrorum iactura. Utrum ad aegyptiam scripturae sanctae partem illustrandam ea, quae omisit, parum conferre putaverit, an codicis folia ultima defuerint, incertum est.

[2] Ruinis veteris Aegypti biblicas historias vel fabulas apocryphas accomodare et fingere saeculo quarto institutum esse comperimus etiam ex Peregrinatione p. 49.

[3] Iesum in Aegyptum migrantem Hermopolim Thebaidis venisse credebant Aegyptii, ut Sozomenus scribit (H. E. l. V. c. 2). Res postulat, ut Burchardi verba referamus (Descript. terrae s. cap. 4): « Inter Hermopolim et Babiloniam Aegypti medio fere loco est hortus balsami; irrigatur a fonte parvo sed ubere, in quo fama est beatam Virginem puerum Iesum saepe lavisse. . . . Haec omnia venerantur a christianis et saracenis ».

[4] Gregorius Turonensis in Historia Francorum (l. I, c. 10) eamdem opinionem secutus est: « Babilonia (Aegypti), in qua Ioseph horrea miro opere de lapidibus quadris et coemento aedificavit ».

[5] Id optime cum Itinerario Antonini consentit: « Babilonia-Helia m. p. XII ».

[6] Murus antiquus iungebat (quod verbum in contextu desideratur) templum solis cum domo Asennec, quae in graeca versione (Gen. XLI, 45) Aseneth filia Petephrae et uxor Ioseph vocatur (cf. Iosephum Antiq. Iud. l. II, c. 6).

appellatur *Bomon,* in qua Foenix post quingentos annos residere consuevit [1].

Aegypti autem cum sint ubertissima loca, tamen quae tenuerunt filii Israel sunt meliora [2]. Pars Arabiae, quae iungitur Palestinae, inaccessibile iter habet, nam licet mansionibus quindecim a....eat, loca tamen ipsa sine aqua sunt [3].

Ab Ierusalem autem usque ad montem sanctum Syna sunt mansiones viginti duo [4]. Pelusius vero metropolis est provinciae Augustanice. Augustamnica autem provincia in Egypto est [5]. A Pelusio autem usque ad montem Syna sunt mansiones duodecim [6]. Ante quam vero pervenias ad montem Sina occurrit castrum Clesma super mare rubrum, ubi filii Israel sicco pede transierunt mare [7]. Vestigia autem currus Pharaonis in mediis arenis parent usque in sempiternum. Rotae autem ipsae inter se multo plus parent, quam currus temporis nostri, qui nunc in romano imperio fiunt [8]. Nam inter rotam et rotam viginti et quatuor pedes et eo

[1] Hebraei auctoresque antiqui vulgo mille vitae annos Phoenici assignabant, Bochart Hieroz. l. VI, c. 5.

[2] Transivit Peregrina per terram Gessen secuta viam, « quae mittit de Thebaida in Pelusio » ut ipsa scripsit: « Sane licet terram Gesse iam nossem, id est quando primitus ad Egyptum fueram ». Et alio loco: « Terra Gesse, quae tamen terra Egypti pars est, sed melior satis quam omnis Egyptus est ».

[3] Ex his verbis oritur dubium, utrum Peregrina ab Aegypto per desertum arabicum reversa sit: supervacaneum enim fuisset mansiones enumerare, nisi illud iter inaccessibile absolvisset.

[4] Ab Ierusalem ad montem Synai mansiones viginti et duae adsignantur, pergentibus tamen usque ad Aegyptum, et transeuntibus per Pelusium et Clysma: nam ab Ierusalem Pelusium decem, a Pelusio ad montem Synai duodecim mansiones erant.

[5] Augustanica Aegypti provincia, cuius metropolis Pelusius. Augustamnica apud Ammianum dicta (l, XXII, c. 16), et Αυγουσταvικὴ apud Iustinianum, Novell. VIII, §. 33 et 37.

[6] Recta isthmum percurrit Per., id est a Pelusio ad Clysma, et a Clysmate ad montem Synai. Eius itineris mansiones a Clysmate ad Pelusium in Itinerario Antonini ita adnotantur: « Clysma Serapiu m. p. L — Thaubasio m. p. VIII — Sile m. p. XXVIII — Magdalo m. p. XII — Pelusio m. p. XII. » In totum m. p. CX. Sed Agrippa, ut Plinius refert (H. N. l. VI, c. 13), a Pelusio ad Arsinoem, quae non longe a Clysmate locatur, millia p. CXXV computavit. Id intervallum aequat milliaria geographica hodierna LXV; id quod situm Clysmatis in Suez confirmat.

[7] De castro Clesma vel Clysmate vide Peregrinationem pag. 45, 46.

[8] Animadverte temporis notam: « temporis nostri, nunc in romano impe-rio ». Vulgo tunc currus Pharaonis vestigia mansisse et conspici putabantur in

amplius fuerunt: orbite autem ipsae habent binos pedes in lato. Vestigia vero currus Pharaonis usque ad mare accedunt, ubi autem ingressus est in mare, dum vult filios Israel comprehendere. In eo autem loco, in quo ingressi sunt filii Israel in mare, id est, quo usque Pharaonis orbitae parent, in hodie duo signa posita sunt, unum in dextro et aliud in sinistro, idem ac si columnellae factae sunt. Locus autem ipse non longe a castro est, id est de Clesma. Clesma autem ipsa in ripa est, id est supra mare: nam portus est ibi clausus, qui portus mittit ad Indiam, vel excipit venientes naves de India: alibi enim nusquam in romano solo accessum habent naves de India, nisi ibi [1]. Naves autem ibi et multae et ingentes sunt: quare portus famosus est pro advenientibus ibi mercatoribus de India. Nam et ille agens in rebus, quem Logotetema [2] appellant, id est qui singulis annis legatus ad Indiam vadit iussu imperatoris romani, ibi ergo sedes habet, et naves ibi stant ipsius. Hic est locus, ubi pervenerunt filii Israel fugientes a Faraone, quando de Egypto profecti sunt: hoc autem castrum postmodum ibi positum est pro defensione et disciplina [3] pro incursione Saracenorum. Locus autem ipse talis est, ubi totum heremite sint, id est campi arenosi, excepto monte illo uno, qui incumbit in mari, in cuius montis latere ex adverso colligitur marmor porphyreticum: nam ex eo dicitur appellari mare rubrum, quia hic mons,

littore maris erythraei. Orosius, Hist. l. I, c. 10: « Extant etiam nunc certissima horum monumenta gestorum. Nam tractus curruum rotarumque orbitae non solum in littore, sed etiam in profundo, quousque visus admittitur, pervidentur. » Cf. Cosmam, Topogr. Christ. l. V, et Greg. Turon. H. Fr. I, c. 10. « Nos quod a sapientibus et certe illis hominibus, qui in eodem loco accesserant, verum cognovimus, ea inserere studuimus paginae. Aiunt enim sulcos, quos rotae curruum fecerant, usque hodie permanere, et quantum acies oculorum videre potest, in profundo cerni ».

[1] De indica navigatione vide praecipue Plinium H. N. VI, cap. 26 et 27. Anton. m. cap. 41: « Ibi est civitas modica, quae appellatur Clysma, ubi etiam naves de Ind a veniunt. » Greg. Tur. H. Fr. I, c. 10: « Quia naves de India venientes ibidem (Clysmatis) ob portus opportunitatem quiescunt ».

[2] Logotheta est rationum perscriptor, ut romani graecissantes eum appellabant. Proc. Goth. III, c. 1. De ejus muneris antiquitate et per medium aevum cursu vicibusque consule Gloss. Ducange in v. Logotheta.

[3] Intellige: positum est pro defensione et disciplina romana ob incursiones saracenorum. Peregr. p. 47: « castrum est ibi . . . pro disciplina romanorum ». Et p. 50: » remisimus milites, qui nobis pro disciplina romana auxilia prebuerant ».

qui per spatium grande super mare rosseum iacet, rubrum rosseum lapidem habeat vel porphyreticum [1] : nam et ipse mons quasi rosseo colore est. Qui tamen mons fuit in dextro [2] filiis Israel fugientibus de Aegypto, ubi tamen coeperunt se ad mare appropinquare: nam venientibus de Aegypto ad dexteram partem ipse mons est erectus valde et excelsus satis, ac si paries, quem putas manu hominum excisum esse. Ipse autem mons aridus est penitus, ita ut nec fruticem in se habet [3]. Filii autem Israel exeuntes de Ramesse [4], primum per medias harenas errando ambulaverunt, cum vero ad mare rubrum appropriaverunt, tunc mons de dextro illis, qui apparebat, in proximo factus est, et iungentes se ipsi monti perveniunt ad mare: latus autem montis illius excelsi de dextro illis veniebat et mare de sinistro, tunc subito euntibus eis ante ipsum apparuit locus ipse, ubi mons in mare iungebat, immo ingrediebatur, ubi promontoria faciunt. Campus autem ipse, ubi filii Israel nocte illa manserunt cum Moyse, infinitus est, et planities eius ingens [5]. Distat vero locus, ubi incumbit mons in mare a castro Clesma passus quingentos [6]. Inter castrum autem et ipsum montem medius est locus a promonctorio montis, ubi ingressi sunt filii Israel in mare et Pharao cum eis. Traiectus autem, ubi transierunt sicco pede mare rubrum, habet octo milia passus in lato [7].

[1] Mare rubrum ex rubeo montium litus aegyptium constituentium colore, qui lapide porphyretico efficitur, nomen traxisse Artemidorus ephesius (Strab. l. XV, p. 533), multique antiquissimi scriptores teste Agatharchide (in Photii Bibl. cod. 250) arbitrati sunt. Plinius etiam scribit (H. N. VI, c. 35) : « continui montes ardentibus similes rubent ».

[2] Montem ab arabis dictum *Ataka*, qui ad mare rubrum prope *Suez* porrigitur, luculentissime Peregrina ostendit, quae postea de Clysmate loquuta addidit (Pereg. p. 47) : « iuxta latus montis, quem superius dixi, ubi filii Israel cum vidissent Egyptios post se venientes exclamaverunt ».

[3] Cf. Pereg. p. 39 : « mons sanctus Syna totus petrinus sit, ita ut nec fruticem habeat. »

[4] Peregr. p. 46 : « Filii Israel exeuntes de Ramesse ».

[5] Planities arenosa, de qua agitur, a *Suez* *Ajrud* versus late patet, Robinson Bibl. Researches, I, p. 49 et seqq.

[6] Ab extremitate promontorii prope Suez usque ad colliculum, ubi parietinae aevi romani etiamnunc reperiuntur, (qui collis corrupto antiquo nomine Clysmatis vocatur *Tell Kolzum*) perbreve intervallum iacet, in quo transitus maris rubri accidisse putabatur.

[7] A litore aegyptio ad oppositum indicat illud spatium, quod nunc ante Suez aliquanto minus panditur.

Mare autem rubrum non hoc habet nomen, quia rubra est aqua aut turbulenta, sed adeo est limpidus et prelustris et frigidus, ac si mare oceanum: ibi elecesse miri saporis et suavitatis sunt. Omne autem genus piscium in eodem mare sunt tanti saporis, ut pisces maris italici [1]. Deinde omnia, quaecunque de mari desiderari solent, illic ad cibum habundant. Ibi sunt buccinae et conchylii diversa genera, fondili vero et concleae diversae et ingentes, per litus autem eius diversae res iacent, sed maiores et pulchriores quam in nullo mari. Corallum vero in eodem littore plurimum est: ipse autem mare rubrum pars oceani est.

Desertum vero Sur heremus est infinitae magnitudinis, quantum potest homo conspicere, et arena solitudinis illius inaestimabilis, ubi triduo ambulaverunt sine aqua [2]. A deserto autem Sur usque ad Maran est mansio una per ripam maris. In Maran vero arbores palmarum paucissimi sunt: sunt illic et duo fontes, quos indulcavit sanctus Moyses [3]. Inde autem per triduum de sinistro heremus est infinitus usque in locum, qui dicitur Arandara: Arandara autem est locus, qui abpellatus est Helim [4]. Ibi fluvius currit, qui tamen tempore aliquo siccatur, sed per ipsius alveum sive

[1] His comparationibus patriam suam respicere videtur Aquitaniam, inter oceanum positam et mare italicum.

[2] Exod. c. XV, 21, 22: « Egressi sunt in desertum Sur: ambulaveruntque tribus diebus per solitudinem, et non inveniebant aquam. Et venerunt in Mara, nec poterat bibere aquam de Mara. » Desertum Sur valde extendebatur a sinu Clysmatis vel Suez contra orientem, idque probatur paulo inferius a Peregrina: « et transitu maris rubri, id est Sur ».

[3] Mansio Maran, quemadmodum Peregrina nobis indicare videtur, statuenda est ad *Ayun Mûsa*, ad fontes Moysis. Hinc enim ad locum *Arandara*, nunc *Garandel* prope montem *Hammôn*, iter, quod quadraginta et quinque milliariis geographicis constat, triduo per heremum peregit. In *Ayun Mûsa* paucas arbores palmarum etiam Robinson (Bibl. Resear. I, p. 62) vidit: Monge praeterea (Descript. de l'Egypte I, p. 409) aquaeductus vestigia vasorumque fictilium fragmenta inspexit, quae omnia mansionem antiquam ibi fuisse opportune confirmant.

[4] Sine dubio Arandara idem est, ac *Garandel* sub monte *Hammân Faraon* regione aquilonari positum: hanc oram maritimam aquis arboribusque laetam cum Helim, ubi erant duodecim fontes aquarum et septuaginta arbores palmarum (Exod. XV, 27), congruere nonnulli docti viatores feliciter agnoverunt, ante quam id certo testimonio Peregrinae firmaretur. Item Antoninus c. XLI refert: « Exinde venimus Magdolum et Sachot (duae ignotae mansiones fuisse videntur in deserto Faran) et ad locum ubi sunt septuaginta palmae. . . . ., in quo loco est castellum modicum, quod vocatur *Surandala* ».

iuxta ripam ipsius inveniuntur aquae. Erba vero illic satis habundat: arbores autem palmarum illic plurimae sunt. A transitu autem maris rubri, id est Sur, non invenitur tam amoenus locus cum tanta et tali aqua, et tam abundanter nisi istum. Inde ergo media mansio iuxta mare est. Demum vero apparent duo montes excelsi valde, a parte vero sinistra antequam ad montes venias, locus ubi pluit Dominus manna filiis Israel: montes vero ipsi excelsi et erecti valde sunt [1]. Ab alia autem parte montium vallis planissima est ac si porticus, ducentos passus vallis ipsa in latitudine habens [2]. Ab utroque autem latere vallis montes ipsi excelsi et erecti sunt. Ubi autem montes aperti sunt, est vallis sex millibus passibus lata, longitudinis autem satis plus habet [3]. Montes vero toti per gyrum excavati sunt: taliter autem factae sunt cryptae illae, ut si suspendere volueris vela, cubicula pulcherrima sunt. Unumquodque autem cubiculum est descriptum litteris haebreis [4]. Aquae etiam ibi bonae et abundantes satis in extrema valle sunt, sed non quales in Helim. Locus vero ipse vocatur desertus Pharan, unde missi sunt exploratores a Moyse, qui considerarent terram [5]: ab utrisque vero partibus locus ille munitus est montibus. Non fert autem locus ille agros aut vineas, nichilque aliut illic est nisi aqua et arbores palmarum. Prope vero ad vicum Faram ad mille quingentos passus coangustantur montes illi, ut vix triginta passibus lata ibi sit vallis illa. Ibi appellatur locus ille Raphidin [6], ubi Hamalech occurrit filiis Israel, et ubi murmuravit populus pro aqua, et ubi Iethro socer Moysi ei occurrit. Locus

[1] Montes cum jugis suis dicti *Hamman Faraon*, qui in mari rubro promontorium faciunt.

[2] Vallis exigua nunc vocatur *Wady Tayibech*.

[3] Mare rubrum linquens dextrorsum viam inter montes carpsit, quae Faran ducebat: deinde continuo (ut est probabile) vallem *Südr* aut *Bürk* montibus undequoque clausam ingressa est.

[4] Inscriptiones rupibus synaiticis incisae viatoribus frequentes occurrunt: praesertim in regione faranitica secus vias visuntur atque in cryptarum fronte, quibus incolae pro domibus vel sepulcris utebantur: antiquiores litteris peculiaribus exaratae ad linguam (ut creditur) pertinent nabathaeam.

[5] Locus etiam nunc nomen *Feirân* retinet, sed illo tempore omnis regio cum montibus et vallibus desertum Faran appellabatur.

[6] Si bene dictionis sensus percipitur, mansio Raphidin ponenda est inter angustias montium *Serbal* et *Jauzech*.

vero, ubi oravit Moyses, quando Iesus expugnavit Amalech, mons excelsus est valde et erectus imminens super Pharan [1]: ubi autem oravit Moyses, ecclesia nunc constructa est. Locus autem ipse quemadmodum sedit, et quemadmodum lapides sub cubitu habuit hodie parent [2]. Ibi etiam Moyses devicto Hamalech aedificavit altare Domino. In tantum autem locus ipse usque ad quingentos passus erectus est, ac si per parietem subeas. De Pharan vero usque ad montem sanctum Syna milia triginta quinque [3]. Porro in Aseroth adhuc apparet, quemadmodum fuit de lapide vallum ipsum, ubi habitaverunt filii Israel, cum reverterentur a monte Dei [4]. Throni etiam tres sunt de lapidibus facti modice in editiori loco, unus Moysi, reliqui vero Aaron et Iethro. Cella autem, ubi separata fuit Maria Moysi soror septem diebus, usque hodie super terram duos pedes eminet. Ab Aseroth autem usque ad montem sanctum Syna inter montes ad dexteram et sinistram totum per vallem ipsam monumentis plenum est. Prope vero montem sanctum in loco, qui appellatur Sepulcra concupiscentiae, totum sepulchris plenum est [5]. Antequam vero pervenias ad montem Syna sunt sex montes [6], qui faciunt vallem infinitam planissimam et valde pulchram. Trans vallem vero ipsam apparet mons sanctus Syna. Locus autem, ubi se montes aperiunt, iunctus est cum eo loco, ubi sunt Sepulchra concupiscentiae. A loco autem unde videtur usque ad montem Syna sunt per vallem ipsam quatuor milia passuum. Vallis autem ipsa ingens valde est, iacens sub pedibus montis Dei, quae habet in longitudinem passus sedecim milia, in latitudine autem quatuor milia. Qui vult ergo montem sanctum

[1] Mons dicitur *Serbal*, quem ad imum inter septentrionem et orientem civitas Faran sita erat, de qua sermo habetur in Pereg. p. 43.

[2] Anton. m. c. XL: « Pharan civitatem, in qua pugnavit Moyses cum Amalech: ubi est oratorium, cuius altare positum est super lapides illos, quos posuerunt Moysi oranti. »

[3] Idem intervallum notatur in Peregr. p. 44.

[4] Aseroth propter regionis conformationem et ad Peregrinae opinionem mihi fuisse videtur non longe a Faran Synai versus, id est in *Wady Salef*.

[5] In difficillimo itineris transitu, qui dicitur transitus venti, inter rupes locato, prius quam vallem montis Synai ingrediaris, statuitur locus « Sepulcra concupiscentiae ». Cf. Peregr. p. 35 et 43.

[6] Hic nectitur codex arretinus Peregrinationis, quem per septem paginas tantum Petrus Diaconus persequutus est.

pergere per transversum ad vallem ipsam deambulat. Haec est autem vallis ingens et planissima, in qua filii Israel commorati sunt, quando Moyses fuit in montem quadraginta diebus et quadraginta noctibus. Locus autem, ubi factus est vitulus, usque hodie ostenditur, nam lapis grandis ibi fixus stat. Haec ergo vallis ipsa est, in cuius capite ille locus est, ubi sancto Moysi locutus est Deus in rubo de igne. Ab uno autem latere optimus est ascensus in montem, et ab alio descensus: per medium autem vallis transversatur, et sic ad montem Dei pervenitur. Mons vero ipse in gyro quidem unus esse videtur, intus autem plurimi sunt, sed omnes illi unus mons Synai appellatur. Specialis autem ille mons est, in cuius summitate est ille locus, ubi descendit maiestas Dei, tanto altior est omnibus illis, ut cum quis ascenderit in illo, prorsus omnes illi montes, quos excelsissimos viderit, ita sub monte videntur Syna ac si colliculi. Mons autem cum omnibus altior sit ille medianus, qui specialiter Syna dicitur, tamen videri non potest, nisi ad propriam radicem illius veneris, ante tamen quam subeas, nam posteaquam ex eo descenderis inde, et de contra illum vides: quod antequam in eum ascendat, facere non poterit. Montes vero, qui in circuitu sunt, cum maximo labore ascenduntur, quoniam non ascenduntur per gyrum in cocleis, sed directe ascenduntur, ac si per parietem et directe descenduntur. In vertice autem montis Syna, ubi lex Moysi data est, ecclesia parva constructa est. In summitate vero montis illius nullus habitat, nichil est enim ibi aliud nisi sola ecclesia et spelunca, in qua habitavit sanctus Moyses. Mons vero ipse totus petrinus est, ita ut nec fruticem habeat. De summitate vero montis mediani ita subtus videntur esse illi montes excelsissimi, quasi colliculi. A vertice autem montis Synai Egyptus, Palestina, mare rubrum, mare parthenicum, quod mittit Alexandriam, nec non et fines Saracenorum videntur. In monte vero Choreb, qui eidem monti coniunctus est, est ecclesia et ante ecclesiam *spelunca*, in qua latuit sanctus Helias sub Achab. Ostenditur ibi etiam altarium lapideum, quem posuit ipse sanctus Helias ad offerendum Deo. Non longe autem inde est locus, ubi stetit sanctus Aaron cum septuaginta senioribus: in eo loco tectum non est, petra tamen ingens est per gyrum habens planitiem supra se, ubi illi steterunt. In medio autem lapideum altarium est. In capite vero vallis, quae monti subiacet, ecclesia

est in eo loco, ubi locutus est Dominus Moysi in rubo, qui rubus usque hodie vivit et mittit virgulta. Ibi ergo aqua est optima. Ostenditur etiam in ipsa valle, qualiter unusquisque habitationes habuerat, de quibus habitationibus usque in hodiernum diem fundamenta parent, quemadmodum fuerunt lapidibus circumdata. Ibi etiam est locus, ubi tabernaculum federis primitus fixum est. Ab alia vero parte inter montes exitur, et incipitur jam iuxta mare ambulare, ita ut subito per aquam maris ambules, subito etiam in quingentos passus per arenam ambuletur eremi: via enim illic penitus non est, sed qui ibidem ambulant in locis, et locis signa ponunt, ad quae signa per diem ambulant, nocte autem signa cameli ostendunt. A mare autem rubro usque ad Arabie civitatem mansiones quatuor sunt. Filii autem Israel, quando egressi sunt de Egypto, quantum ibant dextra, tantum redibant sinistra quantum denuo sinistra ibant, tantum denuo retro revertebantur: et sic fecerunt ipsi [1] .....

[1] Hac voce, a superioribus editoribus non inspecta, explicit codicis pagina. Opus vero Petri Diaconi heic interruptum fuisse non puto: eius vero continuationem in bibliotheca casinensi frustra quaesivi.

INDEX NOMINVM ET RERVM

A

Aaron 40, 42, 49 — thronus 135, 141, 142.
Abbacuc sepulcrum 133.
Abel 6, 8.
Abgari (Aggari) epistola ad Ch. XXV, 62 — palatium 65, 67, 68 — effigies 65 — sepulcrum 67.
Abraham 58, 59 — habitatio in Haran 68.
Acheldamach 119.
Adam 3 — nomen 4 — cœlestis 4 — somnus 4, 5.
Ada uxor Lamech 8.
Aegyptus XXII, 16, 39, 48, 134, 136, 138, 142, 143 — mundum significat 21.
Aelia (Hierosolyma) 51.
Aenon (Enon), locus ubi Johannes baptizabat 59.
Agri specula 56.
Alexandria 39, 132.
Amalech 140, 141.
Annae (s.) ecclesia 118.
Amorraei 27, 55.
Antiochia (Anthiocia) 63, 72.
Apotactitae, viri et foeminae in monasteriis XXIX, 74, 88, 99, 100, 104, 109.
Aquae populos significant 18.
Arabia regio 136.
Arabia civ. Aegypti 46, 48, 143 — episcopus 49.
Arandara sive Helim 139.
Arbor veritatis 49.
Archidiaconus 89, 90, 93.
Arimathea 120.
Arretina bibliotheca IX — abbatia ss. Florae et Lucillae XII.
Asennec 135.
Aseroth 141.
Asoa 133.
Augustanica prov. 136.
Augustophratensis prov. 63.
Auroclavae olosericae 83.
Ausitides regio (Hus) 56.

B

Babylonia Aegypti 135.
Baptismum cata pascha, vel sabbato sancto 60, 98.
Bathnae (Batanis) civ. XXV, 63 — episcopus 64.
Beelsephon (Joebelsephon) campus supra mare rubrum 47.
Beelzebub 17.
Bersabea 120.
Bethania 89, 121, 122 — ibi Lazarium et alia ecclesia 89.
Bethel 133.
Bethleem XXI, 120, 122 — ecclesia 83, 84, 128 — spelunca 101, 122 — ecclesia trium pastorum 122.
Bethsayda 116.
Bithynia 75.
Bomon 136.
Bycoyca 133.

C

Cades (Ader) turris 129.
Caesarea Palestinae 120 — Philippi 126.
Calchedon civ. 75 — ibi martyrium s. Euphemiae 75.
Calvaria 117.
Candacis reginae eunuchus 124.
Candelae 73 — vitreae ingentes 79 — ecclesiasticae 103 — aureae 112.

Capharnaum 130, 131.
Cappadocia 75.
Cariatharim 123.
Carmelus mons 132.
Carneas (Carnai-Asteroth) 57 — dicta Dennaba 57 — episcopus 62.
Carrae (Haran) civ. XXVI, 69 — ecclesia Abrahae 49 — episcopus 68 — ibi pauci christiani 70.
Cassinensis bibliotheca IX et seqq.
Cathecesis episcopi hierosolimitani in ecclesia maiore 105, 106 — explicatio mysteriorum diebus paschalibus in Anastasi 107.
Cain et Abel duum in se populorum praeformantes diversitatem 6.
Catecumeni 78, 81 — docentur in quadragesima ab episcopo *ibi* — dant nomen 104 — competentes *ibi* — exorcizati 105 — accipiunt simbolum 106 — reddunt simb. episcopo 107 — sabbato sancto baptizantur 98 — infantes *ibi* — neophyti 107.
Cathedra episcopi hierosolymitani in ecclesia maiore 95, 104 — presbiterorum 104 — s. Jacobi in Sion 118.
Cedron torrens 121.
Cereofala 79, 83.
Chaleph sepulcrum 124.
Chariassati 134.
Choreb (Oreb) 40, 142 — ecclesia s. Eliae 40, 142.
Christus Adam secundus et coelestis 5 — primogenitus creaturae 7 — ovis *ibi* — Ch. baptismum 127 — epistola ad Abgarum 62, 67.
Cicindelae 83.
Cilicia 72, 73.
Circumcisio Domini 120.
Clysma (Clesma) hodie Suez 45 — castrum 46, 136 — descriptio 137.
Coccinei coloris signum 26.
Codex s. Hilarii et Peregrinationis IX et seqq.
Constantinopolis 75 — Apostolium *ibi*.
Constantio (de) Angelus XI.
Cornu, de quo reges ungebantur 96, 117.
Corra flumen et vallis 60, 61.
Corycus (Coricus) civ. 73.
Crux pereuntibus stultitia, virtus autem Dei in salutem credentibus 19 — Crucis inventio 108 n. 3. — lignum in loculo argenteo 95 — expositio et adoratio 95 — titulus 95, 117 — cubiculum in Golgotha, *vide* Hierosolymitanas ecclesias.
Cryptae in deserto inscriptae 140.
Cyrillus (s.) episcopus hierosolomitanus XXX, 107.

D

Dan 120.
David propheta 28, 122 — domus 24 — ubi Goliam occidit 133.
Demutiatio benedictionis 15, 17 — aquis 18 — honoris 24.
Dennaba, *vide* Carneas 57.
Desiderius abbas casinensis X.
Desusum 13, 15.
Diaconus quid agat 76, 78, 79.
Disciplina archani 107.

E

Ebron 122, 123 (Hebron 124).
Ecclesia corpus Christi 5, 6.
Edessa civ. XXV, 62, 64 — in ea fontes 65 — a Persis obsessa 66 — episcopus 64 — ecclesia s. Thomae XXVII, 64.
Efficientiae corporales 18.
Eleazari et Phinees sepulcrum 123.
Eleutheropolis 133.

Eliopolis 135.
Elysei fons 125.
Emmaus 129.
Enceniae hierosolymitanae 119.
Endor 130.
Enoch translatus 2.
Epauleum mansio Israel 47.
Ephesus 75 — martirium s. Johannis apostoli 75.
Epiphaniae festum 82.
Esau primogenituram amisit 12, 14 24 — populum hebraeum praefigurat 12, 13 — benedictio 15.
Esebon (Exebon) civ. 55.
Ethan (Oton) mansio Israel 47.
Eva ex latere Adae 4.
Eulogia 39, 53, 60, 72.
Euprathes XXV, 63.
Ezechieles 6.

F

Fadana, *vide* Phadana.
Faran civ. 36, 44, 141 — a monte Sinai m. p. XXXV: 44, 140 — desertum 44, 140.
Faranitae 44.
Farus Alexandriae 134.
Florentiae (s.) hymnus XVIII, 30.
Fogor civ. Edom 56.
Fornicatio, quid in Osee? 23 et seqq.

G

Gabaon 128.
Galatia 75.
Galgalis ecclesia 125.
Gallia patria Peregrinae XXI.
Galilea 129 — mare 130, 131.
Gebus vicus 132.
Geennon 120.
Gelboe montes 102.
Genessar mare 129.
Gennaar vicus 126.
Gesse, *vide* Jesse.
Gethe, *vide* Jephte.
Gethsemani (Gessemani) 94, 121.
Golgotha 117.
Golia 100, 133.
Gomorra 126.
Guibaldus abb. casinensis 113.

H

Heli sepulcrum 133.
Heliae officium 28 — spelunca 40, 60, 142 — civitas, *vide* Thisbe 60 — ubi raptus 128 — ecclesia 40, 131.
Helim (Elym) 19 — duodecim fontes apostolos significant 20 — in loco Arandara hodie *Garundel* 44, 139, 140.
Helisei fons, sepulcrum 132.
Helpidius monachus et martyr mesopotamenus 69.
Hermon 131.
Herodis palatium 123.
Heroopolis (Heroum) in finibus Aegypti 48.
Hesdrae sepulcrum 133.
Hiericho 25 — in huius mundi speciem posita 26 — in Peregr. 51, 54, 56, 125, 128.
Hieronymi sepulcrum 122.
Hierosolyma dicta Aelia 7, 51, 73, 115, 137.
Hierosolymitanae ecclesiae:
Anastasis sive ecclesia s. Sepulcri 76 et seqq. 115, 117 — spelunca interior 77, 78, 81, 92 — cancelli 77, 80, 98 — basilica 79, 80, 81 — atrium inter Crucem et Anastasim 97, 116 — hortus post Resurrectionem 117.
E. maior in Golgotha 80, 82 — appellata Martyrium 85, 90, 97, 99, 100, 108, 116 — quam fe-

cit Constantinus 81, 115 — sita post Crucis cubiculum 82, 95 — valvae maiores de quintana parte 103 — absis post altarium 106.
E. ad Crucem, sive cubiculum ubi crux Domini colebatur 78, 80, 84, 93, 94.
E. in Sion 82, 84, 86, 100, 102, 118 — columna flagellationis 95, 118 — ibi s. Maria obiit (Beda) 118 — ibi thronus s. Jacobi 118.
E. in Eleona sive in monte Oliveti 83 et seqq. — spelunca 90, 92, 93, 99, 102, 110, 121.
E. dicta Imbomon in monte Oliveti, ubi Dominus ascendit 91, 93, 99, 100, 102, 121.
E. s. Annae 118.
E. in Getsemani 94, 121.
Templum Salomonis 117, 119.
Hilarii Pictavensis Mysteria XIV, Hymni XVI et seqq.
Hippo civ. 126.
Hymnus Hilarii de Christi divinitate XVI, 28 — neophytae de carnis resurrectione XIV, 30 — qui hymnus s. Florentiae tribuitur XVIII — in Satanam XVII, 32.

I

Iacob 48 — servitus 3 — benedictus pro Esau 13 — in eo populus iunior 14 — domus 124, 129 — fons 130.
Iacobi apostoli domus 138 — thronus in Sion 118.
Ieiunium excepto die sabbato et dominica 85, 103 — hebdomadae 87 — in quadragesimis 88.
Iephte (Gethe) sepulcrum 60.
Ierapolis (Gerapolis) metropolis prov. Augustophratensis 63.
Ieroboam 133.
Iesse (Goschen) regio Aegypti XXIV, 46 — descriptio 50.
Iesus filius Nave 24, 42 — Christum praefigurat 25, 51 — sepulcrum 123, 125.
Iethro 140, 141.
Iezabel sepulcrum 132.
Iezrael 132.
India 137.
Interpretes in ecclesia hierosolymitana 107.
Iob civitas XXV, 55 — sepulcrum 61.
Iohannes Baptista 127, 128 — fons 59 — sepulcrum 132.
Iohannis apostoli domus 131 — martyrium 75.
Ionathas 132.
Ioppe 120.
Iordanes fl. 51, 54 — vallis 57, 60, 125, 126.
Iosaphat vallis 120 — sepulcrum *ibi.*
Ioseph 48 — sepulcrum 125, 134.
Ioseph sponsi s. Mariae sepulcrum 120.
Isahac 3, 13, 14.
Isauria (Hisauria) 73 — Isauri infesti 74.
Israel exitus de Aegypto 45, 46, 47.
Itinera varia Peregrinae XXI et seqq.
Iudas 119.
Itinerarium Burdigalense XXI.
Iudaeus ultionis iudicio reservatus 7.
Iulias civ. 126.

L

Labani puteus 70, 71 — sepulcrum 72.
Lamech 8.
Lazarium, ecclesia in Bethania 83, 89 121.
Libanus mons 126.
Lignum Moisis 18 — s. sacramentum 19.
Livias (Libiada) civ. 51, 152, 26.

Lotetheta 137.
Loth uxoris titulus 55.
Lotharius imp. 113.
Lucernare officium 77, 81, 83, 86 — missa lucernaris 100.

M

Magdalum 47.
Mambre quercus 124.
Manna 21 — s. sacramentum *ibi.*
Mannus (Magnus) Abgari regis f. 65, 67.
Mansocrene mansio sub monte Tauro 75.
Maran mansio in deserto 139.
Marci (s.) evangelistae ecclesia 134.
Mare Galileae 126, 127 — mortuum 126, 127 — parthenicum 39, 142 — rubrum 39, 44, 45, 136, 137, 140, 142 — oceanum 139 — italicum *ibi.*
Mareoticus lacus 134.
Maria soror Moisis 141.
Maria mater Domini 117, 118, 120, 135 — ecclesia in valle Iosaphat et sepulcrum 120 — ubi obiit 128.
Marthana diaconissa XXVI, XXIX, 74.
Mattheus apostolus 132.
Mauras Saracenorum rex 119.
Melchisedech 3 — palatium 58.
Memoria sive sepulcrum 53.
Memphis 135.
Mesopotamia 62 — monachi celebres 62, 69, 71.
Micheae sepulcrum 134.
Ministerium ecclesiae 83.
Moab campestria 52.
Moises 16, 17, 40, 42, 43, 49 — ecclesia 131. — thronus 135, 139, 140 — rubus 17, 36, 41, 142, 143 — spelunca 39, 147.
Mons supra mare rubrum 137.
Morastites 134.

N

Nabau mons XXIV 51, 53 — ecclesia *ibi.*
Naboth 132.
Naym 129.
Nazareth 129 — ecclesiae 130.
Neopolis 129.
Nerrola sive rivus 39.
Nilus 48, 134, 135.
Nisibis civ. 71.
Noe 3, 10 — ebrietas 11, cf. 141.

O

Oliva fructum misericordiae Dei significat 11.
Oliveti mons 121 — ecclesia 121, 124, 127, 128.
Orationes sive aediculae 39.
Osee propheta 22.
Oton (Etham) 47.

P

Palestina 39, 100.
Palmarum festum et litaniae 91.
Panium id est Caesarea Philippi 126.
Parthenae, sanctimoniales 76.
Pascha denunciata 89 — septimana paschalis sive maior 90, 106 — vigiliae pasch. 98 — octava pasch. 100.
Pelusium XXIII, 50, 51, 136.
Peregrinatio ad terram sanctam XIII, XX. et seqq. XXXVIII.
Peregrinatio s. Silviae quo tempore evenerit XXVII et seqq.
Pentecostes 82, 100, 101.
Petrephra 135.
Petri (s.) ap. domus et ecclesia 131.
Petrus Diaconus XII, XXXVII 113.
Phadana (Fadana) 72.
Pharan desertum 140 — vicus ibi et 141.

Pharao 16, 107 — Ph. palatium 134 — currus 136.
Phenicia 126 — mons, qui fortasse non est Tabor sed Antilibanus 61.
Phiala 126.
Philippus ap. 124.
Philippus tetrarches 126.
Phoenix 136.
Pisinni seu parvuli 78.
Pithom civ. Aegypti XXIV, 48.
Poena septemplex 9.
Pompeiopolis 73.
Praedicationes sacrae 81.
Psalmi alternis vicibus canebantur 76, 87 — matutini 76 — lucernares 77 — tres 80.
Pyramides 135.
Pythonissae domus 131.

Q

Quadragesimae de Epiphania 81 — paschales quomodo celebratae 84 et seqq. — dictae Eorte 85.

R

Raab vel Rabaab domus 24, 125, 128.
Rachel sepulcrum 122.
Rabsaces 122.
Ramesse civ. XXIV, 48, 138 — ruinae 49.
Raphidim 140.
Rastrellini Ambrosius abbas casinensis XIII.
Rebeccha 13 — puteus 69.
Rubus Moisis 41, 142.
Regum Iuda sepulcra 122.
Rhodanus 63.

S

Salem civ. Melchisedech 58 — ruinae *ibi*.
Salomonis templum 117, 119 — anulus 117.
Samaria 132.
Saraceni 39, 137, 142.
Sasdra civ. Bataneae 56.
Satanas 32.
Saul (Faul) 131, 132.
Scythopolis 125.
Sedima vicus, *vide* Salem.
Sebastia 132.
Segor civ. 55 — episcopus *ibi*.
Seleucia Isauriae 73 — episcopus 73 — monasterium s. Teclae 74.
Sella uxor Lamech 8.
Sepulcra concupiscentiae 35, 43, 144.
Seth 9 — nomen est fundamentum fidei 10.
Siloe fons 118.
Silvia (s.) Peregrina XXXIV, — patria Aquitania XXXV — virgo, soror Rufini praefecti *ibi* et seqq.
Sinai XXIII, 36 et seqq. 136, 141 — vallis 35, 141, 142 — ecclesia 37, 142 — monasteria 37, 41.
Sochchot Iuda 133 — mansio Israel 147.
Sodoma 126 — Sodomitae 56, 126.
Solis templum 135.
Stephanus martyr 118 — martyrium 122.
Sudarium Domini 119 — sive Veronyca 120.
Sur desertum 139.
Sychem 130, 133.
Syla 126.
Sylus 133.
Symbolum hierosolymitanum 106.
Symeon 118, 120.
Syria Coele 63.

T

Tanis (Tathnis) 50 — (Taphnis) 134.
Teclae martyrium 73 — monasterium 74 — acta 74.
Thabor 131.

Thainnica regio 120.
Thamnatsare 123.
Thara pater Abraham 71.
Tharsus metr. Ciliciae 73, 75.
Thebaides XXII, 50.
Thecue 123.
Therebintus 124.
Thesbe civ. 60.
Thimiamateria 80.
Thomae ap. martyrium XXVIII, 62, 64 — acta XXX, 64 — ecclesia *ibi.*
Tiberias 126, 130, 131.
Tiberius imp. 120.
Tosti A. abbas casinensis XXXIX.
Traconitis regio 126.
Traiectus maris rubri 138.

V

Veronyca 120.
Vespasianus imp. 117.
Vituli locus 42.
Ur (Hur) civ. 71.

Z

Zacharia f. Barachiae 8, 118, 119.
Zechara Mael 133.
Zoar (Segor) 126.

patribus genuas · & prepauerunt [illegible] quod
ex hebreo ispahelyam sua de ahbu balaam · ego cum helye
offeram sua consequetie cotta paratu ad ihoc q̄ recedat ab ydeis
exgonis mistehum tesetuaeum · ua ad eam sedem paretis cū amor.
qua lam. & de ihc ppheye constmauit in ihrm;
Finit expectatio; mystehon S hylachiep ab adam usq; adnoe. deinde
abrae. ysaac. iacob. moysi. & oste ppte. & helye.

Incipiunt hymni ejusdem.

Felix ppha david
phmz otgeam
in carne xpm
mūs mundo nunciant.
Anae spectat qui manent
semp q̄ nasce
semp ua est parat
nasq; ac sint quomodo
dicam parat est.
Quod parat sua possit.
Bis nobis geniae deus
xpe dum in nasso
nascetis adō
ut dum corporat adam
mundo ac genua
uigo puerpera.
Credens ac popls pagina
hymnoz tesonans
miais ua audiat
uocis quas ubi cania
guas omīgena
sce gregis aui.
Dum ac sax pagina sibi
clamens uae manat.
plebs au nōis
inae innascibilem dm
opus quod manuae
alacr in alacto.
Exacta qua carpe possit
mens humana
uanae sylus in pacae
Rursum que penes sua para
dignus qui geniaus est
Filius in dm.
Felix qpoauit hoc
Res arnaus pniaus
Credulus assequi
Vae lacoppeto hoc
ppecaus fuerya
Xgeniaus dei.
Grande loquim & dm
uetu ua geniaor
Quicqd inest sibi
Sanc deus gle
Tocat in unigenam
Eadetya dm.
Hinc unus methaw bonus
Ipsum quod dis est
Exacta inuidia sui
Signi uellat in alacrtu

[illegible] milicio laem ſtheo dicemo ē. Nā' inſtrub; eyrpiq ē.
Loc; ām ipſe ſeruꝰ ſ̄ ſeruꝰ ē. Nā' & petſſquidā ſ̄ ſumunꝰ mihi ibi
cuſtoꝝ. deſicꝫ ꝓcunctaſ de hoc. puenim; ad cumcaſtꝝ que ap
pellaꝝ aſtabia. que ē cumcarſ lnāſtꝝ eſſe unde ſeꝛꝛpaumē dꝛciſſe
phaſeonē' ad loſeph. lnmelioꝛ aſſtꝝ tꝛy pq colloca pcaſtē' cum'
& fff. lnāſtꝝ leſſen. lnāſtꝝ aſtabiꝫ. de aſtabia ām cumcaſtꝝ quaꝝ
cuoꝝ milia paſſ; ſunꝫ ſtemeſſen. Noſ ām uꝝ uenimꝰ; ad manſi
onē maſtabiꝫ pmediaꝝ ſtemeſſe. ſ̄ ſtanſimuꝰ; que ſtemeſſen cum
arſ nunc carnp;ē. laꝝ uꝝ nēc unaꝝ habitaꝝonē' habeaꝝ
Paſtē ſeruꝫ qm & lngenſ ſuaꝝ ꝓgſſu. & mulaarſ ſabꝫeoꝝ habuiaꝝ
ſuuꝫ ām ipſius que' ad me dū colloꝓſſe ſā. lnhodie lnſ̄ maꝫ
poſtēꝫ. Nunc ām ibi michal aliudē. niſi carneū um; laꝓſ ſigenſ
ad habuiſ. lnquo ſunꝫ duꝫ ſtaꝝuꝫ ẋcluſꝫ lngeaſ. quaſ
dicuꝫ eſſe ſcōꝝ hominū. idē moyſi & aaꝛon. Nam dicēꝫ
ꝙquod ſpſ̄ſ lnhonoꝛē ipſoꝝ deoꝝ poſuiſſe. & ibi ꝓſtēꝛe
aſtboꝝ ſicomoꝝ. que dr̄ aꝓcaſtaſtohis poſſiaꝝ eſſe. Nā' laꝝ uēꝛ;
aſſimaꝝ ē. & ldeo ꝓmodicaꝝ ē. licē' carn ād huc ſtucaꝝ aſſe
ſtaꝝ. Nā' cumcumq; lnquo modiaarſ ſuſtſ uadēꝛ ibi & uolleꝛ
ſuſtaloſ. & ꝓde illſ ē. hoc ām ꝓfeſtaſ ſcō ſpō de aſtabia cogno
uim;. Nā' ipſe nob dix̄ nom ipſius aſtboꝝ ſ̄ que' ad modū appellaꝛ
ea'. gſtaſ idē *dandoſa laſhiꝫ. quod noſ dicim; aſtboꝝ uelꝛaaꝝſ
qui aām ſcſ ſpſ nob ſtemēſſen occuſſtſe dignaaꝝſ ē. Nam ē
laꝝ ſtmoꝝ uꝝ uſtē ſeruꝫ ſeligioſuſ & monacho. & aſſtabiliſ
ſuſcipiēſ pſtſtꝝ noſ uaſde bāt. nam & lnſeꝛpaudſ dī uaſde
ſtudiaaſ ē. ipſe ẏ cum ſe dignaaꝝſ fuſſe uſtaſte & oī nobiſ
occuſſtſe ſingula ibi oſtendꝛe ſtuſtaulſa de illa ſtaꝝuꝫ quaſ
dixiuꝫ eſſam & de illa aſtboꝝ ſicomoꝝ. Nam & hoc nob ipſe
ſcſ ſpſ ſtemulſa ꝙquod faſeo. quando uidꝛe quod ſpſ̄ſ di
miſſeꝛaꝝ eam. Tunc illſ pꝛiuſ quaꝝ poſt illoſ occupoſte eſſe
cum omī ẏeſtꝛeaꝝ ſuo lnāſte ſtemeſſe. & lncendiſſe ea' omē
quaꝝ lnſmiaꝝ eſtaꝝ uaſde. & lnde poſt ſpſ̄ſ ſuſſe ꝓſtꝛeaꝝſ.
Nob ām ſofſtunaꝝ hoc ẏſtꝛeaſſimuꝰ ſuēniꝫ. uꝝ dꝛe quaꝝ uenim;
ad maꝛnſionē' aſtabiꝫ pꝛdie ea beaſſimo dñe ſpiphaniaꝝ eſſe.
Nā' ea dē' dñe ungſſe aẋtendē eſtaꝝ ſ̄ ſocio. deſicꝫ aliquo biduo
ibi aēmaꝝ noſ ſcſ ſpſ ſcſ & uſte homodī. Noaꝝ; in laꝝ ſeruꝫ

* ὁ ἐνοδοσ ἀλλ' ἀξιος.

PEREGRINATIO
S. SILVIÆ
AD LOCA SANCTA
ANN. CIRC. 385-388.

ISAVRIA
CYPRVS
MARE INTERNVM
PHOENICIA
Libanus
Antibanus
GALILEA
AVGVSTOPHRATENSIS
OELE—SYRIA
MESOPOTAMIA
Euphrates
BATANEA
AMORRAEI
MOABITIS
MARE PARTHENICVM
AEGYPTVS
AVGVSTANICA
ARABIA
M. RVBRVM

Tarsus
Pompeiopolis
Coryceus
Selencia
Antiochia
Edessa
Carrae
Bathnae
Hierapolis
Nisibis
Turnum A.
Capharnaum
Genezareth Lac.
Tiberias
Nain
Endor
Scythopolis
Thesbe
Jesrahel
Mons Gelboe
Samaria
Sichem
Silo
Emaus
Phogor
Livias
Hesbon
HIEROSOLYMA
Terebinthus
Hebron
M.Nebo
Segor
Pelusium
Alexandria
Memphis
Clysma
M. Sinai

Istituto Cartografico Italiano e Stab.t Lit. L. Rolla, Roma

Inc. S. Kunz

ITINERARIVM S. SILVIÆ PER ÆGYPTVM ET SINAI

ANN. CIRC. 387-388

M A R E P A R

ALEXANDRIA

T H E N I C V M

Port Said

Tanis

Pelusium

G E S E N

G A V G A M E L A

S T A N I C A

Arabia

Ramesse

Heroo

Thmuïlia

Pithom

A R A B I A

Succhoth

Otonis

Heliopolis

(CAIRO)

Babylonie

Pyramides

Memphis

Magdalum

Epauleum

Beelsephon

Clysma (Suez)

Ziamitos

Marran

Mataka

Desertus

A R A B I A

A R A C E N I

P E T R A E A

M A R E R V B R V M

Arandara (Helim)

Hammam Faran

Desert. Farana

Raphidim

Farano

Aserotn

Sepolcra Concup.

Horeb Rubus Moisis

M. Sinai

T H E B A I S

28 29 30 31 32

Istituto Cartografico Italiano e Stab.° Lit. L. Kalle, Roma.



Istituto Cartografico Italiano e Stab.° Lit. L. Ralla, Roma.

DATE DUE

HIGHSMITH #LO-45220

Bound by
DESS & TALAN

GENERAL THEOLOGICAL SEMINARY
NEW YORK

PA 6554 .P7 1887

S. Hilarii Tractatvs de
mysteriis et hymni et S

GENERAL THEOLOGICAL SEMINARY
00016431